BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXV
C
55
NAPOLI

XXV
C
55

Digitized by Google

FLAVII
QVÆRENGI
POIAGHI COMITIS,
& Canonici Patauini.

Inſtitutionum moralium Epitome.
De Sapientiæ & Eloquentiæ diuortio.
De Conſiliario.
De Honore.
De numero virtutum moralium.
Introductio in Philoſophiam Moralem.

PARISIIS,
Apud Viduam MATHVRINI DVPVIS,
viâ Iacobeâ, ſub ſigno Coronæ.

M. DC. XLIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

Sereniſſimo

FRANCISCO ESTENSI,

Mutinæ & Rhegii Duci VIII,

FLAVIVS QVERENGVS POIAGHI COMES,

& Canonicus Patauinus.

I*Nſtitutionum Moralium Epitome, Princeps Sereniſsime, qua perfectum boni viri & ciuis exemplar, vno quaſi ſpectatur intuitu, iuſſu Sereniſsimi patris tui (quo gaudent recentia Chriſti ſæcla nouum ſortita Ducem) nunc exit in publicum.*

Et quamuis ſatis intelligam, quanta mihi iactura eius gloriæ ſit pertimeſcenda, quam ex ingenii mei cenſu, nimis exiguo, ſperare non audeo: ne cui tamen videar de tanti Principis iudicio parum fuiſſe ſolicitus; obſequor libenter imperio.

Nec mirum; ſi, cum me tibi totum dicauerim, te quoque inter cæteros ſupremæ fortunæ viros elegerim, es fores clientelæ tuæ pulſauerim; opuſque hoc addixerim tibi.

Agri prouentus domini eſt ; & arbor grauida fructibus ſatori curuatur ſuo ; & riui fontem agnoſcunt , & radii ſolem.

Et quidem hæc ſcripta tenebris aſſueta nullo modo poſſent ſuſtinere publicam lucem , niſi inſignis Aquilæ Eſtenſis auſpiciis ; cuius oculorum acies in Solis radios obuerſa non torpet ; nec volitare per hominum manus , niſi eiuſdem ſibi aſſumeret alas ; quarum ſacra accubat vmbra Quærengia domus , immortalibus à te ornata & deuincta beneficiis.

Quod ſi tu , Franciſce Sereniſſime , ſingulari tua humanitate hos meæ ſolitudinis partus exceperis , non dubito quin meum erga te , & Sereniſſimum genitorem obſequium , ſim cæteris omnibus facile approbaturus.

Patauii Kal. Auguſti M. DC. XXXVIII.

IDEM

Eidem Sereniſſimo Duci.

POiaghi excelſæ rupes , quas vallis amœna.
Suſpicit , & læta fertilitate beat ;
Vos dominus mandat famulo ſeruire fideli ,
Atque mera , & mixta ſubditione locat.
Si ſeruire Deo ſpecies eſt optima regni ,
Et tibi dum famulor , das regere imperio ,
Et merito , Franciſce , Dei cæleſtis , imago ,
Terrenuſque Deus tu mihi ſemper eris.

Illuſtriſsimo

FLAVIO QVÆRENGO,

POIAGHI COMITI,

& Canonico Patauino,

Suo,

GASPAR SCIOPPIVS, S.

REMITTO Ethicarum tuarum Acroaſeon Proluſiones. In quibus multa ingenio tuo digna, minimeque protrita cum voluptate legi. Nam omnia mihi per occupationes non licuit. Quod dictionis genus omnibus iam Philoſophorum ſcholis familiare non penitus tibi aſpernandum ducis, nequaquam reprehendo, ne, quod Peripateticorum Principi Petro Iohanni Nunneſio in Phyſiologia ſuavſu venit, ſi Latini ſermonis puritati ſuperſtitioſius ſtuduiſſes, tibi verborum tuorum interpretatio poſt in calce libri adiungenda fuerit. Etſi enim domeſticum habes exemplum clariſſimæ memoriæ viri Antonii patrui tui, cuius Scripta non temere quiſquam eorum ſua credi indignetur, qui Virgilii, & Horatii æquales, aut ei ætati ſuppares fuere: cum tamen plus Auditorum profectum, quam ingenii plauſum, pro eo ac Philoſophum Moralem maxime decebat, habueris propoſitũ, vitio tibi dari non debet, quod

ſatis habeas ita Spartam, quam nactus es, ornare, vt ne recepto, ac promiſſo tuo ſatisfeciſſe merito accuſeris. Cenſeo autem, recte te iſta editurum, vt, cum lectoribus inde conſtiterit, te non modo in Lyceo cum Peripateticorum patre, eiuſque primi nominis ſectatoribus, ſed etiam cum Platone inter Academi ſiluas, cum Zenone, Cleanthe, Chriſſippo, Seneca, & Epicteto in Pœcile ſua, cum Gargettio quoque ſene in Hortulis, quodque multo pluris eſt cum Theologis noſtris in ſchola Chriſtiana philoſophatum eſſe, pluribus cupiditas inuadat cum Ariſtotelis interpretem audiendi, à cuius ſe acroaſi non tam peruulgatis ſcholarum cantilenis delinitos, quam variarum rerum cognitu vtiliſſimarum ſcientia auctores diſceſſuros merito confidant. Vale.

Patauii a.d. XVI. *Febr.* M. DC. XXXVI.

Illuſtriſsimo FLAVIO QVÆRENGO, POIAGHI COMITI, & Canonico Patauino, IOANNES COTTVNIVS, S.

DOctas, & laborioſas Proluſiones tuas ſumma cum animi voluptate perlegi. In eis, vt quod ſentio, fatear, mihi matronam non pellucente ac fucato verborum amictu, ſed graui ac talari orationis ſtola decoratam intueri viſus ſum.

Hoc apprime placuit, quia plurimum refert, magiſtra ne vitæ Ethice, an ancillula quæpiam in ſcenam prodeat.

Intererit multum Dauus ne loquatur, Eros ne,
Maturus ne ſenex, an adhuc florente iuuenta
Feruidus, an matrona potens, an ſedula nutrix.

Non hic philologiam, ſed philoſophiam perpendo, quæ ſuperſtitioſius ornari negat, contenta doceri: facundum vero, ac fæcundum illum tuum ſtylum: & oratoria lumina, atque acumina, quibus mirifice polles, alius expectat locus; cum, vt audio, complures in humanioribus litteris lucubrationes tuæ publici Iuris fuerint factæ. At at dum hanc cultioris orationis Scyllam indicio vitaſti, haud minus Charybdim, tetram videlicet quorundam in philoſophicis rebus loquendi barbariem abhorruiſti. Iam vero, quod rei cardo

eſt, quam ſolida hic omnigenarum virtutũ fundamenta iacis? quam celſas bene ac beate viuẽdi moles, regalique ſitu pyramidum longe altiores, erigis? Et hic quod ſuſpiciat Peripatus, quod colat Academia, quod veneretur Stoa, quod Vis ciuilis introſpiciat quod denique prædicet Theologia. Verum enim vero, vt non nihil huius operis attingam, quam oculate poſtremum hominis finem, & internum, atque externum hominem expendis? quam admirabilem, ac pæne diuinam honorum pyramidem ægris mortalibus proponis? quam accurata iudicii lance officia cuiuſuis conditionis examinas? quã rite de ſumma felicitate edisseris? quã profunde, ac promiſcue dominatũ, ac ſeruitutem, an iuſta ſint, enucleas? quã grauiter Stagiritæ fundamenta perpendis? quam deniq; mirifice ſeptem illis, omnique admiratione plenis viſionis gradibus ad ſũmum vſque ſummi animantis bonũ attollis, viuidoque vel ex nobis ipſis eruto exemplo ſacroſanctam, ac venerandam Triadem recludis? Haccine ſæculum noſtrum non habebit? ergo

Poſt te victuræ, per te quoque viuere chartæ

Incipiant.

Vale, meque, vt facis, ama.

Patauii à part. Virg. M. DC. XXXVII.
IX. Kal. Sept.

FLAVII QVERENGI, POIAGHI COMITIS, & Canonici Patauini.

INSTITVTIONVM MORALIVM

Annus primus.

ANNVS voluitur ſecundus, præſes Illuſtriſſime & Excellentiſſime; optimi Auditores; cum relicta Romana vrbe confugi in domeſticos lares, tanquam in portum, non inertiæ, ſed quietis: nam excelſæ ſplendor aulæ, qui affulſerat, mentis oculos non perſtrinxit. Sed rurſum mihi videor vela dare; cum Principis iuſſu, beneficientia, & auſpiciis docere, imo dicere aggredior. Plenum opus periculi, & maxime laborioſum: ex vmbra in ſolem proferre cogitationes meas, & longos Philoſophiæ ſinus traiicere ex ſummo litore, in quo ſecurus ſedens intuebar alios nauigare. Magnum etiam, & arduum, produci in theatrum, in quo, vt aiunt, Roſcius ſit paulo ante verſatus. Et propterea locus iſte, ſpoliatus voce erudita & veſtris auribus digna, pauorem adauget. nam quamuis tanti viri vita functi propenſæ erga vos voluntati adæquare me poſſe intelligam; non ideo illius do-

ctrinam emetiri me poſſe confido. Sed de me dictum ſatis: nam ſi magis me deprimam, videbor fortaſſe diſſimulare:& ſi attollam, vanitatis ſuſpicione non carebo.

Et quoniam Philoſophiæ laudes expromere propoſitum mihi non eſt; quia minime neceſſarium; (nemo enim veſtrum, illam vituperat,aut odio habet) exordiar ab eo, quod maxime pertinet ad inſtitutum noſtrum; eſtque fundamentum totius ciuilis diſciplinæ, nempe à vita hominis, quæ in actione conſiſtit. Si enim ſecum non ageret homo, & cum altero non contraheret, fruſtra in tradenda bene viuendi ratione vniuerſa, Moralis Philoſophiæ magiſtri laboraſſent: ſi à publicis & forenſibus rebus ceſſaret, neque verſaretur in luce Reipublicæ, tot Politicorum volumina iacerent otioſa: ſi ſtudio rei familiaris non implicaretur, ſuperuacanea forent œconomica præcepta. Solum hominem multifariam viuere: cætera autem animalia vnico tantũ modo vitam traducere videmus. In promptu cauſa eſt nam vnum hoc animal, iure optimò mundi vinculum appellatum, in vna, & eadem numero forma duplicem ſubſtantiam gerit, quarum altera cæleſtis mens eſt, altera vero brutorum portio.

Neque latratus lyciſcæ à Proclo aduerſus hanc rationem adductus quicquam nego-

tii faceſſit, aſſerente, illam quoque eſſe variæ & permixtæ naturæ. Nam cum hæc permixtio, & varietas in materia ſit, non in forma, non eſt quod illius horreamus latratus; quandoquidem difficultas hæc nobis obiecta non mordet.

Neque noſtros conturbet animos auctoritas Ariſtotelis, dicentis primo de hiſtoria animalium, c. primo, etiam ex animantibus, quas natura abiecit ad paſtum, multas eſſe, quæ modo ſolitudine gaudent, modo ſocietate; ne forte negare cogamur, ſoli homini naturam ancipitem fuiſſe tributam: non enim in iis, ſi rite ſpectamus, veras differentias vitæ, quemadmodum in homine: cernimus, ſed ſolummodo veſtigium, & illud quidem leuiter impreſſum, contemplationis & actionis.

Quod veſtigium cum perſpicax Aeſopus animaduertiſſet, nouam, & admirandam methodum excogitauit erudiendi diſcipulos ad Moralem Philoſophiam: Et quæ ratiocinando, dæfiniendo, atque ex hiſtoriis admonendo, alii nobis ſerio tradidere, ipſe auium, & ferarum fictis, ſed ſaluberrimis quidem ſermonibus, quaſi iocans edocuit. Quemadmodũ etiam poëtæ, ſympathiam, & conſenſum rerum ſecum conſiderantes, multa de coniugiis arborum non temere cõfinxere. Neque propterea pecudes vere

locutas à paſtoribus vnquam accepimus; quamuis Aeſopus illas loquentes inducat; neque voluptas vites traxit ad vlmos maritos, vt fingitur, ſed ars agricolarum. Hanc hominis formam duplicis ſubſtantię perfectè nouit antiquitas:quæ duplicē propterea hominem nobis reliquit, internum ſcilicet,& externum: vnum Angelis,alterum brutis perſimilem. Id ipſum quoqueMoſes allegoricus ſignificauit,ſi credimus Origeni: nam, cum Adam rectus à Deo effingitur,primus homo intrinſecus nobis proponitur: cum vero ex illo tāquam ſomno oppreſſo Eua formatur, ſubiicitur oculis noſtris homo alter extrinſecus,qui diuinarum rerum oblitus, & ab inferioribus illectus, delapſus eſt in errorem,& vitium. Per animas à Deo manantes; à variis ſtellis,quas in orbem vertunt,primo receptas; craſſo corpori nondum alligatas; cuncta cognoſcentes;ducentes felicem vitam, quid aliud deſignare voluit diuinus Plato, niſi primum hominem intrinſecum? Et per eaſdem animas ad informanda mortalia corpora deſcendentes; per alarum caſum, quibus ad ſuperna aſpirabant; per ſoporem, & obliuionem eorum; quæ nouerant, nonne ſecundum hominem extrinſecum adumbrauit, imo etiam expreſſit? In primo & interno homine rationem ſolum habente

ponitur vita contemplatiua; nam cum in conuerſione conſiſtat ad finem vniuerſalem, reponi etiam debet in illo homine, cui præſtitutus eſt vniuerſalis finis. At huiuſmodi eſt homo primus, vtpote qui virtute continet hominem ſecundum.

Sed vita actiua, cum ad particularem finem referatur, in ſecũdo homine recte locabitur; namque homo ſecundus nil aliud virtute comprehẽdit, quam ſe ipſum. Suademur etiam ad ita ſentiendum ex eo, quia virtutes omnes, quæ perturbationes retundunt, & actioni inſeruiunt, ſunt in inferiore parte animi; quæ quidem pars inferior eſt eadem cum homine ſecundo. Licet enim huiuſmodi virtutes à parte ſuperiore quæ eſt homo primus efficientem cauſam, id eſt, rectam rationem, tanquam regulam accipiant; in inferiore tamen parte, quæ eſt homo ſecundus, tanquam in ſubiecto proprio, conquieſcunt. Nec quia pars ſuperior agit operatione immanente, denegari illi debet tranſitus; ſaltem virtualis. Cum igitur motus ſit potius in eo quod mouetur; quã in eo quod mouet, & pars animi inferior ſit illa, quæ regitur, pars vero ſuperior ſit illa, quæ regit, & imperat; perfecto qui nullius in magiſtri verba iurauit, affirmabit, Actiuã vitam in ſecundo homine reponendã Quod ſi quis in primo repoſuit, mo-

tum illum fortaſſe reſpexit, quem Platonici actuoſum appellant; ſed nos paſſiuum reſpicimus, de quo omnes intelligunt, cum de motu loquuntur.

Hinc dicere ſolebat Speronus Speronius, celebre huius Ciuitatis Oraculum, Actiuam vitam eſſe perfectionem hominis externi. Quod idem eſt, ac ſi diceremus, eſſe perfectionem animæ humanæ imperfectæ, quatenus imperfecta eſt. Contemplatiuam vero vitam dicebat eſſe perfectionem hominis interni.

Neque vita Actiua homini ſecundo, & externo eſt tributa, vt in ea perfectione conquieſcat, ſed vt ad ingenium, & mores redeat hominis primi, & à proſperitate, quæ in actione eſt poſita, ad contemplatiuam tranſeat felicitatem; Quod Platonici nobis egregie monſtrarunt. Nam cum poſt deſcenſum animarum imperfectionem ſecundi hominis oſtenderint, docent etiam modum, quo animæ, iam è cælo delapſæ, ſuo munere recte fungi poſſint, vt eo perfunctæ in antiquas ſedes reuertantur, ibique fruantur ſummo bono, proprio labore comparato. Caſum animarum nullo pacto probamus: poſſumus tamen cum Perſpectiuis, qui per excogitatas Pyramides, & imaginarias lineas vera concludunt, vti etiam nos commentis Platonicis. Nam

ex iſto fabuloſo animarum deſcenſu facile adducimur ad percipiendum, hominem primum in errorem delapſum, atque in ſecundum mutatum.

Quid igitur nobis peregrinis in hac vita alarum remigio deſtitutis, agendum reſtat, Auditores? Aliud nihil profecto, niſi recuperare pennas amiſſas, vt per prudentiæ, ſcientiæ, & ſapientiæ gradus reuertamur in patriam. Alas ambas amiſimus ob vires remiſſas, & repreſſas, quibus ad verum, & bonum aſpirabamus. Siniſtram alam primo aſſumimus cum voluntas, cum propenſione ad bonum, tum prudentia roboratur.

Illa aſſumpta facile recipimus dexteram; quod contingit, cum intelligendi, & iudicandi facultates interna commotione ad verum, & ſapientia conualeſcunt. Virtutes namque morales, quas ala ſiniſtra deſignat, diſpoſitiue pertinent ad vitam contemplatiuam. Nam tollunt vehementiam paſſionum, quibus abſtrahitur animus à contemplatione. Quare homo ſecundus, dum virtutibus morum perficitur, euadit iterum homo primus. Denique in patriam reuertimur, cum, his compagibus corporis excluſi, donamur tandem libertate. Quam quidem maxime cupimus; nam ad immortalitatem creati vitam hanc cauſa illius præſtantioris expetimus. Ita ſtrenui

milites non per ſe bellum exoptant, ſed vt pax, quæ eſt militiæ finis, ſit rebus fortiter geſtis illuſtrior.

Perturbationum, quæ libertatem iſtam impediunt, & contemplationi nocent, moderatrix eſt Philoſophia Moralis, ſi, vt agamus, ad illam confugimus: ſi diſcimus vitæ, non ſcholæ: ſi noſter animus Philoſophiam amat vt remedium, non vt oblectamentum. Nam qui in ſola diſputatione conquieſcit, vt cum Ariſtotele loquar, ſane perinde facit atque ægrotans, qui medicos quidem libenter audit, nihil tamen eorum efficit, quæ ab ipſis mandantur. Et quemadmodum illi nunquam bene habiturum eſt corpus, qui ita curatur, ſic nec iſti animus, qui ita philoſophatur.

Diſcamus igitur magis viuendi rationem, quam diſputandi. Nam magnum quidem eſt, implicita ſoluere, ambigua diſtinguere, obſcura perſpicere; ſed longe maius, gloriam contemnere, ærumnam ferre ſine gemitu, & cum mors aderit, non trepidare.

Annus

ANNVS SECVNDVS.

FElicitatem, quæ eſt actio conſentanea virtuti, tanquam ſydus Borealis poli, vobis in hoc vitæ Oceano vndique agitatis, indicauimus anno præterito. Reliquum nunc eſt, vt ſtellas ſingulas, ex quibus aſtrum illud componitur, hoc eſt omnes virtutum ſpecies, ſeparatim inſpiciatis. Sed præcipue ad explicationem Iuſtitiæ, quæ eſt omnium domina & regina virtutum, cuius fulgori cedit Heſperus, & Lucifer, noſtra feſtinat intentio.

Verum quia ab vniuerſalibus initium eſt capiendum, ideo antequam ſermonis curſum dirigamus ad ſpecies ſigillatim enarrandas, aura quadam à doctrinæ ordine profecta ad virtutem vniuerſalem, ac generatim cognoſcendam, conuertimur, atque compellimur.

Moralis virtutis lumen; quo cœleſtis portio hominis emicat, & tantam excitat admirationem ſui; non eſt denſior pars ſui orbis, vt nodus in tabula, ſed animi firmiſſimum robur: Non eſt quinta quædam eſſentia, ſed quid à potentia & affectione diſtinctum. Non ex floribus conflatur elementorum, ſed ex voluntate, conſultatione, electione conficitur; quæ ſub ſponta-

neo, tanquam ſub genere, continentur.

Hæc ſunt tria, quaſi corpora ſimplicia, ex quibus actio componitur. Hæc ſunt conceptio, & cunabula virtutis. Hæc enim ſunt principia vnde prodeunt operationes, ex quibus frequentatis fit habitus. In iis, quia ſponte ſuſcipiuntur, laudi vel vitio relinquitur locus: quemadmodum illæ, quæ vi, aut imprudentia fiunt, ſæpe veniam, interdum etiam miſericordiam promerentur.

In his tribus elementis, conſpirantibus ad abſolutionem operationum humanarum, vnde proficiſcitur virtus, hic ordo ſtatuitur à Peripateticis.

Primo mens abſolute rem iudicat. Secundo ſub ratione boni. Tertio voluntas id vult. Quarto vis conſultandi de mediis pro eius adeptione deliberat. Quinto id quod conſultatione cæteris fuit præpoſitum, electio deligit; niſi obſiſtat appetitus, vt accidit in incontinente; & hæc omnia communi genere participant, ſpontanei ſcilicet, quod latius patet; & pendent à libertate arbitrii, cum neque neceſſitate agant homines, neque fortuito, ac temere more cylindri deferantur. Hunc quinarium ordinem Ariſtotelicum fortaſſe deſignarunt Stoici illis tribus Inſpectionibus. Quarum prima æſtimat quanto quidque

dignum ſit, & pretia rebus imponit. Secunda ad res intus æſtimatas impetum capit ordinatum, & temperatum. Tertia in ipſa rerum actione cognoſcit, quando, vbi, & quomodo, quidque agi debeat. Tunc enim vita ſibi concors eſt, cum actio non deſtituit impetum, & impetus ex dignitate rei cuiuſque concipitur. Prima inſpectio, de æſtimatione, mentis iudicio; ſecunda, de impetu, actui voluntatis; tertia, de actionibus, conſultationi; & electioni proportione reſpondet. Sed etiam magis diſtincte hac de re loquuntur Theologi, imitantes ſectiones medicorum. Nec mirum: ſi diligentius cæteris ea, quæ ad finem pertinent, exquirant. namque agunt de vero, & vltimo fine; cuius iactura foret longe maior, quã priuari Ideis Platonis, vel Elyſio Poëtarum. Iuxta ordinem actuum voluntatis ſecundum lineam rectam, & reſpectu eiuſdem obiecti, duodecim motus ordinantur à perſpicaci Caietano; qui diſtincta diſtinguens, & diuiſa ſubdiuidens, p. 2. q. 16. art. 4. tantam in moralia induxit ſubtilitatem, quantam in Metaphyſica acerrimus Scotus inuexit. Primo igitur apprehenditur v. g. felicitas. Secundo eſt voluntas. Tertio imperfecta eius fruitio. Quarto, intentio eiuſdem. Et hic finitur prima voluntatis habitudo ad finem: cum enim præ-

dicta perfecte inſunt, voluntas habet finem in ſe ipſa; id eſt, perfecte illum appetit. Et hinc inchoat prima quoque voluntatis habitudo ad id, quod eſt ad finem. (Intentio enim ad id deſcenſum præbet.)

Sed quia conſilium de his quæ ſunt ad finem eſt voluntarium, nam à voluntate mouetur ratio ad deliberandum, & hæc motio vere eſt vſus, ideo quinto loco ponitur, Vti ratione ad conſilium. Sexto loco eſt conſiliũ de his, quæ ad finem ferunt; quod eſt rationis inquiſitio, ante iudicium de eligendis. Septimo eſt iudicium, quod inquiſitione præcedente, à ratione profertur, & dicitur ſententia, ſiue concluſio. Octauo eſt electio, quæ amplectitur rem iam deciſam, & conſultatione cæteris præpoſitam, & eſt affectatio eius, de quo habita eſt conſultatio. Et hic finitur prima habitudo voluntatis ad ea quæ ſunt ad finem. Habetur enim tunc in ea perfecte id quod eſt ad finem, id eſt, perfecte vult media, quæ ad finem diriguntur.

Non eſt præceptum, ſeu imperium, quo ratio (præſuppoſito actu voluntatis) præcipit electa executioni mãdari, & inchoat ſecunda habitudo voluntatis ad id quod eſt ad finem: quoniam iam incipit deſcendere, vt habeat ipſum realiter. Decimo eſt vti; quo voluntas mouet potentias executiuas,

applicans eas ad executionem. Vndecimo eſt executio ipſa aſſecutiua per media ipſius finis. Et ſic duodecimo conſummatur, & perficitur totus progreſſus, fruitione perfecta ſuperueniente; quæ eſt de felicitate realiter adepta.

His gradibus veniunt homines à cogitatione finis ad illius realem poſſeſſionem. Sed quatuor principia, & origines iſtorum motuum, quibus peruenitur ad felicitatem, accuratius ſpectemus. Spontanei cognitio ex ſuo contrario elucescit. Non ſpontaneum, eſt illud, quod vi, aut ignorantia fit. Vi autem id fit cuius cauſa, & principium extrinſecus adhibetur, ea re, cui vis infertur, nihil conferente. Vt ſi quo ventus arborem impulerit, aut Princeps ciuem eiecerit, aut quis furem manibus, pedibuſque ligatis traxerit inuitum. At vero quæ fiunt metu maiorum malorum, nec ſponte, nec inuito fieri dicentur; veluti ſi quis tyrannus parenti, ac liberis turpe aliquid faciendum proponat, hac lege vt ſi obediant, incolumes ſint, ac ſalui in minus, interficiantur. Et eadem ratio eſt eorum; qui ſalutis cauſa, ſuas fortunas iactant, cum oriuntur tempeſtates.

Magis tamẽ ſpontanei naturam ſapiunt; quia tunc cum agũtur in electione ſunt, & in agentis poteſtate. Sed non propterea

appellari poterunt abſolute voluntaria, quia ſi illa alio non referantur, & nos ſimpliciter loquamur, nemo ſponte ea faceret, ad quæ metus impellit.

Sed occurrit hic dubitandi occaſio, cur videlicet concupiſcentia actionis mixtæ non ſit efficiens; quandoquidem hæc ſicut metus, paſſio eſt quædam. At id longe alia procedit ratione. concupiſcentia etenim, cum ad bonum dirigatur, magis voluntarium facit; ſiquidem propter hanc voluntas propenſior fit ad id volendum quod concupiſcit. ſecus autem de metu, qui cum reſpiciat malum, propterea voluntati contrarius exiſtit.

At non ſolum ex vi, ſed etiam ex ignorantia naſcitur inuoluntarium. Vnde ſi quis ex imprudentia plumbum accepit, ratus eſſe argentum, & poſtquam reſciuerit, ſe illud egiſſe moleſte ferat, dicetur feciſſe inuitus. Si vero non pœniteat; (vt accidit ei, qui inimicum occidit, quem tamen non cognouit, dum interficeret (certe is ſponte ſua non egit quod neſciebat; non tamen egit inuitus; quippe cum ob id ipſum non doleat. Quare cum omne inuoluntarium, aut ex vi, aut ex ignorantia naſcatur, conſequens eſt vt ſpontaneum ſit illud cuius internæ ſunt cauſæ; eo qui agit ſciente quamlibet circumſtantiam.

Aſpontaneo, quod eſt tanquam genus (nam ſponte appetimus finem,ſponte conſultamus de mediis, eaque ſpôte eligimus) ad ſpecies illius tranſeamus. Voluntas eſt appetitus mentis, reſpiciens finem humanarum actionum, à mente, vt nobis bonum, iudicatum. Vtrum autem voluntatis obiectum ſit vere bonum, an bonum apparens, magna eſt quæſtio. Sed qui dicunt, eſſe vere bonum, decipiunt in eo, quia neſciunt, fines, etiam inhoneſtos, amari. Qui vero non per ſe bonum,ſed apparens, ſub voluntate cadere affirmant,in eo vidêtur errare, quia ſic nullum foret naturale voluntatis obiectum,ſicut nullum eſſet naturale viſus obiectum, ſi non ipſe color,ſed quod cuique apparet vt color, oculos ferire diceretur. Quid igitur affirmabimus certi tanta rei impliciti difficultate? Extricabimur facile,ſi dicamus, Obiectum principale voluntatis, omnino, & re vera eſſe per ſe bonum:ſed ſingulis quod cuique videtur. Videtur autem honeſtis hominibus id bonum eſſe, quod vere bonum eſt. At flagitioſi bonum apparens, & quod vere non eſt tale, bonum iudicant. Quemadmodum ea,quæ re vera ſunt dulcia, à bene valentibus dulcia ſentiuntur; ſed ab ægris quæ dulcia ſunt amara exiſtimantur. Voluntati conſultatio ſuccedit.

Conſultatio eſt inueſtigatio per rationem mediorum latentium, quæ ad nos pertinent, ac in noſtra ſunt facultate, vt potiora inueniamus pro conſequendo fine.

Cum enim multa ſit incertitudo in rebus agendis, quia actiones ſunt circa ſingularia, ideo in rebus incertis, & dubiis ratio nunquam iudicat, niſi inquirendo conſultatio præcedat. Quam conſultationem eſſe mediorum inueſtigationem dicimus, non finis; quia finis in operabilibus habet rationem principii, ex quo media tanquam concluſiones deducuntur. At principium ſub quæſtionem non cadit, ſed in omni inquiſitione ſupponitur. Vnde cum conſultatio ſit quæſtio, de fine non erit conſilium; ſed de iis, quæ ad finem pertinent. Hæc autem cum ſint plura, maximus labor eſt inquirere ea, quibus facilius ad eum poſſit perueniri. Quare inueſtigando, & reſoluendo ad eam tandem cognitionem venimus, à qua, licet poſtremo reperta ſit, incipit tamen omnis noſtra ad finem actio proficiſci; & illa inuenta conſultationi finis imponitur.

Conſultationem electio ſubſequitur, quæ dicitur etiam liberum arbitrium. Hæc eſt ſubſtantialiter actus voluntatis, quæ iuncta imaginationi, & appetitui inferiori, amplectitur media, iam conſultatione

approbata, eaque dirigit in finem. Amplexus pariter mediorum, non finis, dicitur electio: ea namque deligimus, de quibus deliberamus. At nemo de fine deliberat. Ea deligimus, quæ ante fuere iudicata. At ratio de fine, non poteſt ferre iudicium, cum iudicium ſit concluſio ſyllogiſmi operatiui, finis vero ſit principium eiuſdem ſyllogiſmi.

Sed vnde oritur noſtra electionis libertas? Primo ex pluralitate eorum, quæ ſeſe obiiciunt deligenda. Hinc bruta, vni penitus addicta huiuſmodi carent libertate. Secundo ex eo, quia vnumquodque à nobis apprehendi poteſt ſub ratione boni, vel mali: ſi æternam beatitudinem excipiatis. quæ cum ſit bonum perfectum, nihil includit, quod omnibus cumulate non ſatisfaciat; nec ſub ratione alicuius defectus concipi poteſt: quare illam ex neceſſitate appetimus, nec poſſumus velle non eſſe beati. Sed quia electio non eſt perfecti boni; cum non finis, ſed ea quæ ad finem ſpectant, eligantur, hinc eſt quod nos libere eligimus.

Ex his tribus elementis conſtat actio moralis. Ex crebris autem actionibus habitus ſimilis acquiritur: acquiſitus vero in ſimilibus actionibus eluceſcit. Et

tunc cum voluptate agimus, quæ prius agebantur cum quodam animi dolore. Virtus namque probe affecto reddito appetitu munus ſuũ conſtanter exequitur. Quare poſt perturbationes vſu domitas, & moderatas; poſt Scyllæos latratus compreſſos, qui voluntati, & rationi ſolebant obſtrepere; tunc animus, qui Euripo ſimilis æſtuabat motibus intimis, à bello inteſtinõ liber, & pacato hoſte domeſtico, qui in ſua viſcera coniurauit, incipit cum iucunditate finem appetere; cum certitudine conſilium capere de iis, quibus illum aſſequatur; & cum celeritate deligere alterum eorum, quæ ſtatuta fuere, & iudicata conſilio.

Huius virtutis, quæ voluntati affert iucunditatem, conſilio certitudinem, electioni celeritatem, tria ſunt principia; materia, forma, priuatio; de quibus agemus in futura ſeſſione.

ANNVS TERTIVS.

POſtremun finem ad quem humanæ actiones referũtur, propoſuimus vobis (A.O.) anno primo noſtrarum exercitationum: vt tanquam ſagittarij ſignum inſpicientes, attingatis facilius ſcopum felicitatis. Curſum veſtrum direximus; & fa-

cibus noctu accenſis monſtrauimus portum, in quem poſſitis, mundana iactati tempeſtate, confugere.

Et quoniam tutum aduerſarum rerum perfugium non alibi, quam in virtutis actione conſiſtit; ideo anno ſecundo à toto genere diſcurentes per ſingulas virtutes morales, conquieuimus in tractatione Iuſtitiæ: quæ cum ſit illarum Regina, omnium vltima incedit. Nunc annus agitur tertius, cum reuocatis ſermonibus æſtiuo tempore intermiſſis, aures veſtras patientiſſimas detinemus, confiſi fortaſſe nimium perſpectiſſima illa beneuolentia, quæ nos perpetuo deuinxit.

Cum autem prudentia, ſit moderatrix virtutum, quemadmodum Iuſticia eſt domina (nam ſi hæc imperat vſum, illa modum ſtatuit rerum agendarum,) ideo nouum ſumentes exordium, videbimus hoc anno, quænam, & quot ſint partis intellectiuæ ornamenta, quibus animus verum enunciat, affirmando, vel negando. Et numero quinario inuento, qui conſtat ex intelligentia, ſcientia, ſapientia, prudentia, & arte, ad laudabiles animi diſpoſitiones tranſibimus.

Qui quidem tranſitus ordine, & ratione non caret. Nam diſputationi de perfectis habitibus, ex quibus beatitudo perfecta

oritur, & tractationi de prudentia illos dirigente, merito adiungendus eſt ſermo de habitibus imperfectis, & ſemiuirtutibus, quæ in vita quotidiana frequentiſſime reperiuntur, & continent formam imperfectam vitæ beatæ.

Sed vt diſtincte cognoſcantur, tres humanarum actionum numerabimus fontes (nam totidem gradus deſignantur in vnaquaque actione, penes difficultatis menſuras) eoſque conabimur aperire. Vnus erit virtus, cui opponitur vitium; & hæc in hominem, vt homo eſt, cadit. Alter Heroica excellētia, per quam homo ſupra homines extollitur: cui aduerſatur feritas, per quam infra deprimitur. Tertius erit laudabilis diſpoſitio, quæ eſt via ad virtutem, & gradus remiſſus ipſius.

Appelletur Continentia late ſumpta, ita dicta à continendo & refrænando paſſiones. Atque hanc laudabilem diſpoſitionem meritiſſimo dici habitum imperfectum, & ſemiuirtutem, ex eo demonſtrabimus; quia licet in hac, quemadmodum in virtute, & heroica præſtantia, ſit rectitudo rationis, & appetitus; appetitus tamen, qui in heroë, & in viro temperato, & forti iam edomitus, ſponte obedit, in homine continente, rationi adhuc reluctatur, nec, niſi quodammodo inuitus obtemperat. Sed ſi

minor eſt laus inuito obtemperare rationi, quam ſponte obedire; è contra minus eſt dedecus pugnando, & reſiſtendo vinci ab appetitu, quam ſtatim abiectis armis illi in ſeruitutem tradi, tanquam vile mancipium: ideo audietis, incontinentiam in minorem hominum vituperationem venire, quam feritatem, & vitium: nam in iſtis ſine vllo pugna appetitus dominatur; in illa vero, quamuis tandem ſuperet appetitus, præceſſit ſaltem inter ipſum, & rationem anceps, & glorioſa contentio.

Quibus in tranſcurſu breuiter explicatis, hærebimus diu in tractatione de Amicicia, quæ eſt effectus virtutis, & ſemi virtutis. Et quidem de ea accurate à nobis eſt diſputandum. Cum enim ad felicitatem non ſolum interna animi bona requirantur, ſed etiam externa fortunæ: & inter externa maximum bonum ſit amicicia: merito ſequitur vt poſt habitus perfectos, & diſpoſitiones laudabiles, potiſſimum de Amicicia dicendum eſſe videatur.

Et quoniam parta tueri, non minor eſt virtus quam parere, dicemus, quomodo res tam pretioſa & ad vſum vitæ tam neceſſaria cõſeruetur, & glutinetur, ſi forte ſoluatur: atque eliciemus certam regulam tollendi querelas inter amicos, & conficiendi pacem inter inimicos: ea ad inimicicias

tranferentes, quæ de commerciis diximus, cum de Iuſticia tractauimus. Arbiter namque pacis eſt tanquam iudex ciuilium contentionum. ad quam ſpectat, vtramque partem æquare, & reddere deficienti rem illam, qua exceditur à ſuperante: eamdem ſcilicet in quanto, non in quali: nam ſiquis percuſſerit, non eſt opus vt percuſſionem repatiatur, ſed ſat eſt, ſi ea proferat voce, vel ſcripto, quæ percuſſioni æquiualent; vel alio modo dignitati patientis ſatisfaciat, itá vt ſint pares. Sed hæc nunc leuiter tetigiſſe ſufficiat.

Adhibitis ægrotanti amiciciæ medicamentis, & temperamento reſtituto, ſi non ad pondus quale ante fuerat, ſaltem ad Iuſticiam, (nam ſæpe cicatrix apparet, etiam ſi iniuria, quæ conſenuit, non recrudeſcat,) nunc immediate tractabimus de voluptate, & eius contrario, non in quantum eſt materia continentiæ, & incontinentiæ; ſed ſecundum quod adiungitur felicitati.

Quæ voluptas, ſi non eſt ſummum bonum, vt exiſtimauit Eudoxus, magnum tamen habet, ad virtutem, & beatam vitam, momentum. Eſt enim perfectio formalis actionis, in qua conſiſtit beatitudo: quam ſi non conſtituit in eſſe, ſaltem illi extrinſecus aduenit: quam ſi non abſoluit, & perfecit, vt habitus quidam ingenitus, certe

illi, vt quidam finis, accedit, veluti hominibus, corroborata iam, & confimata ætate, pulchritudo ſolet accedere.

Dictis autem iis, quæ ad habitus intellectuales, ſemiuirtutes, amicicias, voluptateſque pertinent, iterum de felicitate ſummatim dicemus (nam illam ſtatuimus eſſe hominis finem.) & deſcendentes ad eam, quæ eſt veri hominis, & interioris, cui præſidet ſapientia, docebimus, illam eſſe actiua longe præſtantiorem.

Ita ex comparatione eluceſcet magis eſſentia actiuæ felicitatis; quæ eſt finis rerum humanarum, & principium ſcientiæ moralis. Et ſic primis reſpondebunt extrema: Mens etenim noſtra ſummo hominis bono inuento, ad quod per virtutum gradus aſcendit, tandem in eo, tanquam adepto, conquieſcet.

Sed quorſum, inquiet aliquis, hi quæſtionum laquei: hæ ſpinæ difficultatum, quæ acumen quidem exercent, ſed animum morbo non liberant? Moralis Philoſophia eſt perturbationum medicina, non mentis exercitatio: eſt ratio recte viuendi, non ſubtiliter diſputandi. Illa ſecuros nos facit, etiam ſi vndique flagrent incendia, vel ſubitus turbo nauem rapiat atque proſternat. Illa duce, etiamſi mille micent gladii, vel mucro iugulum tangat; non

expaueſcimus. Quod fuga Anaxagoræ, Socratis venenum. Zenonis tormenta teſtantur, vocibus perpetuo manſuris. Illa noſtras armat manus in perniciem ſeruilium voluptatum, quæ guſtatu, tactuque capiuntur. Et illa eadem nos docet potius ignoſcere, quam vlciſci.

At diligens contemplatio noſtrarum animi perturbationum non pellit timores, non temperat cupiditates, non iras reprimit: Nec in perueſtiganda eſſentia virtutis, minuta ſubtilitas, facit homines fortes, temperatos, & manſuetos.

Verus Philoſophus inter ſapientiæ opera detinetur, non inter vocabula. Suaſionem requirit, non doctrinam, & optabilius putat iuſte agere, quam Iuſticiam propria & dilucida definitione comprehendere.

Eſt ergo inutilis hic modus philoſophandi, qui nec amolitur vitia, nec format virtutes, vt medicinæ nullus eſt vſus, niſi valetudinem expellat aduerſam, & reſtituat opportunam.

Quare homini ad felicitatem nato dicatur quid vitare debeat, quid appetere: Robur accipiat, non magis in hoſtes, quam in libidines: Nulla crudelitate, neque aſperitate mentem obnubilet: Sed doceatur in primis quomodo repellat ea, quæ ex transuerſo

verſo agunt, & ferunt; vel ſaltem qua ratione fortiter toleret.

Erudiatur ad ſuas ſine gemitu miſerias ſuſtinendas,& inſpiciendas, ſine inuidia,alienas proſperitates. Denique vltimum vitæ terminum non expectet plorans,& timidus ſed ipſemet,cum ſummus Imperator euocauerit, in illum, quaſi in patriam, alacriter properet, inſigni fortitudine roboratus.

His ſtudiis firmet labantem animum, & fluctuantem. Hęc Philoſophus tractet, quæ vitam noſtram inſtituunt. Inanes vero diſputationes tranſcurrat: quandoquidam ſecreta rimari, ſoluere implicita, diſtinguere æquiuoca, non reddunt homines meliores. Sed neque hæc, neque alia huiuſmodi argumenta aduerſus docendi rationem,quam ſequimur, nos de ſententia deducunt, aut de incepto curſu deiiciunt.

Cum enim antiqua forma philoſophandi Stoicorum,quæ mouet,atque incitat animos, hodie Concionatoribus ſit demandata, reliquum eſt,vt nos circumſcripti limitibus Ariſtotelicæ doctrinæ, perſcrutemur morum originem, atque naturam.

Namque hic vnus nobis ſupereſt labor. Neque in ſuperuacuis noſtra teritur inueſtigatio. Nam ſi finis ſcientiæ moralis eſt excolere & conformare mores hominum, cùm offenſione turpitudinis, tum amore

honeſtatis; qua quæſo via, & ratione ad illum poterimus peruenire, niſi prius natura virtutis & vitij probe inſpiciatur?

Honeſtas, & turpitudo, vt nobis inſerant propenſionem, vel odium, debent ante cognoſci. Si quidem intellectus eſt prænius ſatelles voluntatis, quæ fertur in cognitum. Eſt homo arbor inuerſa, quæ non cæco impulſu ſympathiæ, & anthipatiæ, more plantarum, ſed ductu noticiæ dirigentis, ea quæ nocent auerſatur, & ea, quæ ſunt ſibi conſentanea, proſequitur.

Et quidem neque infœcunda, & otioſa eſt contemplatio virtutis: quandoquidem mens illuſtrata veritatis fulgore, appetitum inflammat deſiderio bonitatis; quia verum facile in formam boni ſe tranſmutat; vnde id quod cognoſcebatur, expetitur.

Hinc Theologiam, quæ Deum conſiderat, appellarunt aliqui effectiuam, quia oritur ex conſideratione dilectio. Et quamvis ſuperne ſit contemplatiua, attamen deſinit in praxim. Et quemadmodum qui domum ædificant, à fundamentis; ita Philoſophi, qui elaborant in ſtructura vitæ beatæ, debent ab his diſputationibus exordiri.

Baſes & fundamenta felicitatis ponuntur à Peripateticis, qui nos docent: ſed ſummitas, & faſtigium imponitur à ſectatori-

bus Stoicæ diſciplinæ: Hi flexanima, & ardenti oratione, quæ docendo mouet, nos hortantur, atque impellunt.

Et hoc felix ædificium, in quo ſummà pax, & tranquillitas habitat, quod à Peripateticis inchoatum, à Stoica architectura ſolebat abſolui, nunc perficitur à noſtris Chriſtianæ fidei oratoribus.

Quorum ſermo conſumitur, non in docendis tantum hominibus, ſed etiam ad virtutis ſtudium cohortandis, & eloquii luce perfunditur. Serunt quidem iſti ſalutaria ſemina doctrinæ, ſed præterea opportunè etiam irrigant monitis, & exemplis, vt naſcantur, & adoleſcant. Metu coërcent cupiditates hominum, quæ longe, lateque funduntur, ſed ſpe excitant illorum mentes ad conſpectum æternæ cognationis, & domicilij. Minis territant, conſolationibus recreant; & offerunt ægris pharmaca, & cæcutientibus lumen.

Erat quidem excelſa Stoicorum conſtructio, ſed non ita attollebatur, vt reſpicientium hominum fruſtraretur intuitus. Illorum namque emendatrix humanæ vitæ eloquentia ad eam ſolummodo beatitudinem incitabat, quam intra ſphæram noſtrarum verium collocatam quiſque poterat naturæ lumine intueri. Sed Stoico ædificio manus admouentibus etiam Franciſco, &

Dominico, magnificentior, & altior moles inſurgit; ſublimi vertice nubes ſcindit; cœlum penetrat; neque conſpicitur, niſi ſupernaturale fidei lumen affulgeat. Quod ſi affulſerit, tunc oculorum acies, vltra communem hominum valentiam perſpicax facta, molem iſtam excelſam, æternam ſcilicet gloriam, à conſpectu noſtro remotiſſimam, ſi non cum euidentia, ſaltem cum certitudine intelligit. Quod idem pulchre præmonſtrat allegoricus ille oleaſter, in quo fæcunda, & pinguis inſeritur oliua.

Quemadmodum enim inſitio, & inoculatio (vt loquamur artis ruſticæ vocabulis) arbores facit generoſas, ita etiam Stoica Philoſophia, ſi illi adhibeatur oculus Chriſtianæ fidei, nos adiuuat ad ſublimiorem beatitudinem comparandam.

In hoc ſublime ædificium, quod Stoici & Chriſtiani opificis induſtria ad tantæ altitudinis faſtigium erexit, animum auide intendunt ii, quos Deus inſtituit heredes: & aſſidue volitant ſuper hanc arborem, quam inſit io fœcundauit.

Quare actiuam Philoſophiam tres, vt nobis videtur, exercent ciuiles artifices Primum & ſecundum, Theoricos & ſcientes dicimus, quoniam vterque eorum, tanquam pocés, ciuilis ſcientiæ conſtructionem condeſirat. Tertium libet appellare Practicum

& prudentem, quia ſermones vtriuſque docentis exequitur. Primus occupatur in locandis fundamentis actiuæ Philoſophiæ; cuiuſmodi eſt Ariſtoteles, Thomas, Caietanus, Scotus, Bonauentura, & alij, qui de rebus moralibus tantum docendo locuti ſunt. Secundus verſatur in imponendo inchoatæ Philoſophiæ faſtigio, & finit opus inceptum.

Tales ſunt Socrates, Plato, Epictetus, Plutarchus, Seneca, & alij, qui à morum natura perſcrutanda, qua parumper inſiſtunt, ſe ad præcepta, hortationes, & monita tranſtulere.

In quorum, vt diximus, locum ſuccedunt hoc tempore æternæ prædicatores veritas. His omnibus medium eſt ingenium, hoc eſt, procliue, tam ad ſapientiæ, quam ad eloquentiæ artes; & ita doctrina exprimunt primos artifices, vt dicendi facultatem non negligant oratorum. Tertius artifex eſt veluti Pericles, & Themiſtocles, qui quod poſitum eſt in aliorum doctrinis, atque pręceptis, confirmarunt vſu laudabilis vitæ, & recta adminiſtratione Reipublicæ. Atque his connumerandi ſunt pij, & religioſi viri, quibus numen amicum eſt, atque propicium, & quorum fides in operibus viget.

Quis veſtrum igitur iuſte expoſcat à no-

bis exhortationes, monita, exempla, & cætera arma eloquentiæ? Ariſtotelem ſequimur, non Epictetum; neque in meſſem alienam, vt aiunt, cupidas & ambitioſas iniicimus manus.

Non imponimus faſtigium felicitati tanquam architecti; ſed fundamenta iacimus, tanquam operæ & adminiſtri. Neque ita audaces ſumus, vt cum adhæreamus humanis rebus, ſicut ceteri homines, velimus more Stoicorum & cœnobitarum, mundi contemptionem & deſpicientiam auditoribus prædicare. Et quamuis, ſi vellemus artes & artus æqua lance perpendere, fateri cogeremur, nos valde impares eſſe etiam huic oneri comportandi lapides, & cæmenta, affirmare tamen poſſumus, (neque hoc arroganter dictũ putetis) aures noſtras tinnire adhuc, & reſonare acutis vocibus, quas olim in Parmenſi Academia hauſimus, florente ſtudio iuuentutis, à Scoto, & Caietano, & aliis non dicendi, ſed docendi magiſtris.

Relinquentes igitur interpretibus & internunciis ſummi & veri Iouis, monitiones, & imitationes, quibus nos permouent; exempla quæ in rem velut præſentem ducunt; ſermonis elegantiam, qua pios & veraces ſenſus exornant: aſſumimus nobis humanas doctrinas, quæ ancillantur, & ſeruiunt diuinæ ſapientiæ.

Nos ſumma legimus littora, dum iſti liquentes terras pelago irrumpunt, & ſequentes Cœlum, domant vitiorum hyemes, ac tempeſtates; Nec propterea ſpernendum eſt hoc ſtudium Philoſophiæ noſtræ, quæ fundamenta conſtituit, & mentem illuminat; Nam & mentis radiis voluntas accenditur, & ex fundamentis exurgit totius operis celſitudo.

ANNI QVARTI

Sermo primus.

SOcratem cum laudaret Xenophon, quod à ſublimium rerum contemplatione, quæ humanæ captum intelligentiæ longe excederent, omne ſuum in Philoſophia ſtudium ad excolendos Ciuilis vitæ mores, tanquam è cœlo in terris deductum, tranſtuliſſet, id non ſine magna cauſa ſapientiſſimum hominem feciſſe pronunciauit.

Inanem ſcilicet, ac temeritatis plenum laborem cenſuiſſe, eas inter naturę tenebras certæ alicuius cognitionis lumen inueſtigare, quarum obſcuritate veterum ſolertiſſimi circumuenti in tam varias, ac tam abſurdas ſententias errendo diſtracti eſſent.

Alios enim omnia rerum genera ad vnicum ens cótraxiſſe. Alios infinita principia,

infinitos etiam mundos immenſo in ſpatio reperiri affirmaſſe. Quoſdam nihil omnino moueri, quoſdam perpetuo cuncta motu agitari arbitratos. Nonnullos denique, quidquid ſit, interire viciſſim, ac generari; pleroſque vero nihil mutationi eiuſmodi obnoxium eſſe credidiſſe.

Hanc Xenophontis, in laudando Socratis conſilio, rationem, ſi quis admittat, nec dialecticæ artis ſatis peritus, nec multa in eorum ſcriptorum lectione, qui rerum ciuilium doctrinam profeſſi ſunt, diligenter verſatus, iudicio veſtro, Auditores ſapientiſſimi, exiſtimabitur.

Quis enim ignorat, nullam eſſe nobilem artem, nullam diſciplinam, in qua vel tradenda, vel exercenda, pugnantibus inter ſe opinionibus viri maximi non atrociter digladientur?

Moralis vero facultas, ſi vnum tantummodo præcipuum eius caput, in vltimi finis conſtitutione poſitum, conſideremus, tot contentionum quaſi fluctibus, ob veritatis in puteo latentis (quod Democritus dicebat) obſcuritatem, agitatur; vt nihil incertius, nihil maioribus ſit inuolutum difficultatibus, quam eius cognitio.

Ignorato vero fine, qui arti omnium artium maximæ propoſitus eſt, quæ ſupereſt nobis in vita ſpes eius conſequendi, ſi

tanquam ſagitarij capti oculis, quo tela dirigamus, ne ſuſpicione quidem diuinare poſſumus?

Legiſtis credo quæ ab Romanæ eloquentiæ parente in libro. De finibus doctiſſime collecta ſunt, & diſputata, non modo de Academicorum cum Peripateticis, Stoicis, Epicureis, aliiſque pluribus in hoc argumento diſſenſione, ſed quam difficile ſcitu, vel potius ſupra omnem humanam ſit facultatem diſceptando inuenire, quam potiſſimum ſententiam, vt probabiliorem ſaltem, ſi non vt veriorem, amplectamur.

Audiuiſtis etiam, non dubito, extitiſſe philoſophos, qui nullum eſſe inter bonum & malum diſcrimen, nullam artem bene viuendi, pertinaciſſime & ſunt opinati, & magnis editis voluminibus prodidere. Sed hos tanquam ingeniorum monſtra, qui cum Heraclito, ac Pyrrhone, nouiſque Academicis, ad euertendam mentis humanæ ſublimitatem ipſa mentis excellentia ingratiſſime ſunt abuſi, prætermittamus.

Quid vero dicendum putabimus, vt viro acutiſſimo Marco Varroni ſatisfaciamus, cuius admirabili, vera tamen, ſupputatione, tantum eſſe opinionum numerum de beatitudine differentium compertum eſt, vt non pauciores ſint, quam octoginta & octo ſupra ducentas?

Quomodo etiam duos præcipuos Socratis ipſius diſcipulos, & familiares intimos, inter ſe conciliabimus, Platonem, & Xenophontem? quorum hic diſerte negat, magiſtrum præter moralem philoſophiam quidquã attigiſſe aut naturalis ſcientiæ, aut eius quam Peripatetici Metaphyſicen vocant; hic illum non ſemel, ſed præſertim in Parmenide, ſubtiliſſime de ente primo, bonoque ſupra ens poſito, diſputantem inducit.

An dicemus, inanem & importunam operam ſumere qui aperte diſſidentes fruſtra in gratiam reducere velit?

Scimus autem omnes, quæ inter hos duos ſimultates, quæ obtrectationes interceſſerint.

Illud potius noſtri muneris eſſe arbitrabimur; vt, cum ignotum ſit nemini, Socratem præcipue ſemper verſatum in virtutis humanæ, humanæque beatitudinis indagatione, fateamur quidem, non eſſe cuique obuium & facile, his de rebus certum ferre iudicium. Illorum tamen cognitionem, ſi comparetur cum eminentiſſima contemplationis parte, tanto eſſe faciliorem, quanto corporeis obiecta ſenſibus minori labore deprehendimus, quam ea, quæ ab omni materia ſecreta ſunt.

Opinionum vero copia, & varietas, dum examinatur, & perpenditur, nos in veritate

acutius peruidenda, & pertinacius obtinenda, potiſſimum iuuet.

Quod vt quantum in medioc itate ingenii mei poſitum eſt, vobis, Auditores, mihique contingat, peto à benignitate veſtra, æquo ac libenti animo permittatis, vt huius anni ſtudiorum meorum labor nouam quandam, non tamen parte in vlla ab Ariſtotelis doctrinâ abhorrentem, per ſemitam decurrat.

Cuius ingreſſum vt aperire incipiam, reuoco vobis in memoriam quod alias ex hoc ipſo loco commonui, Duas eſſe ciuilis diſciplinæ ſummas & principes partes: alteram quidam quaſi Theoricam, cuius eſt obiectum, & opus, diligenter in communi quærere, & conſtituere, quæ vera ſit hominis beatitudo, quibuſque mediis parari poſſit, & conſeruari: alteram proprie Practicam, quæ Theoricæ præſcriptum ſequuta, iam in vſum actionemque deſcendit.

Illam tradi in Principium præſertim gratiam, & eorum, qui ætate, moribus, ingenioque præſtantes, idonei ſunt ad res eiuſmodi vtiliter audiendas: hanc, ſingularibus præceptis & admonitionibus comprehenſam, obedientiam potius, quam iudicium requirere.

Vtriuſque vero exemplum habere nos in præclara mediorum arte, quæ vel ſanitatis

eſſentiam, & cauſas, morborum quoque originem, ſymptomata, & remedia communiter ſpeculatur, vel ægrotantibus, ac ſanis etiam, ne ægrotent, admouet illorum vtilitati opportuna.

Moralis theoricæ ſpecies multæ apud alios ſunt. Duas agnoſcit Ariſtoteles; Ethicam, & Politicam; quæ tamen & ipſæ pro varietate rerum, quibus ad felicitatem conſequendam vita communis indiget, ſecantur in plures, ciuilem, militarem, œconomicam, nomotheticam, monarchicam, polyarchicam, & alias, quarum ſumma ſaltem capita, & axiomata, typoſque, habemus in Ariſtotelis libris.

Practicæ vero ſpecies ſunt gnomologica, parangelmatica, hypothetica, paradigmatica, parænetica, protreptica, & aliæ, quarum exempla paſſim occurrunt in Theognide, Phocylide, Iſocrate, Plutarcho, Dione, Max. Tyrio, Seneca, & in eo quem præcipue legendum indicat Plinius Ciceroniano de Officiis libro.

In tam fertili vtilique rerum pulcherrimarum ſylua, percommodum mihi, iucundumque vobis etiam futurum exiſtimaui, ſi Ariſtotelis ordinem in Ethicorum libris ſecutus, quorum interpretatio mihi preſertim demandata eſt, moralis ſcientiæ breui commemoratione enumeratis inſigniori-

bus problematibus, circa ſingula mox tria præſtem. Primum, paucorum, qui inter Philoſophos veteres celebriores ſunt, opiniones cum Ariſtotelica conferam. Secundum, exemplis, ex hiſtoriarum penu depromptis, rem illuſtrem. Tertium demum, veriorem ſententiam, ſicubi humani imbecillitas ingenii deficiat, dubitantibus ſuggeram ex diuinis Theologorum oraculis, quæ ſola falli non poſſunt.

ANNI QVARTI

Sermo ſecundus.

OMnes homines impulſu naturæ fœlices eſſe deſiderant; Et cunctos exercet beatitudinis cura mortales. Sed quia perturbationum caligo rectum confundit intuitum, cæcutiunt multi ad perſpiciendum, quid ſit, quod efficiat fœlicem vitam.

Plerique etiam errant, quia more pecudum antecedentium gregem ſequuntur, & præſertim eos, qui valent poteſtate, & imperio. Cum enim complures illorum ſint potius ſerui coronati, quam domini: (nam & auri importuna ſiti, & violenta regnandi libidine, & blandis ſenſuum illecebris tenentur obſtricti) multi, pernicioſo exemplo

decepti, neſciunt recto tramite callem carpere; quia, vt eſt in prouerbio, Cæcus cæcum ducit.

Sub mundi naſcentis origine, cum homines primi, adhuc credula rudes ſimplicitate, minime cognoſcerent id, quod hodie docuit experientia, & dictauit aſtutia, gens quædam iacebat in ima valle, ſub excelſi montis radicibus: qui ferire cœlum ſublimi vertice videbatur: Hæc cum pluries curioſe adnotaſſet inæqualem & inſtabilem lunam, nunc deciduis cornibus, nunc reſurgentibus, credidit, illam ex alto cacumine contrectari poſſe, atque inde perfecte intelligi: quomodo creſceret, atque ſeneſceret.

Alii itaque caniſtris, alii ſaccis, refertis cerere; arreptis certatim cæperunt montem aſcendere. Sed cum poſt emenſum iter, moleſtum, atque difficile, lunam etiam tunc remotiſſimam cernerent, via feſſi, & fracti irrito labore membra, procumbentes humi, optabant, ſed fruſtra, in ima valle remanſiſſe. At ij, qui remanſerant, exiſtimantes, eos qui aſcenderant, voti iam compotes factos, lunam tangere, illos feſtinanter proſequebantur. Hæc ſunt (A ſap.) per allegoriam dicta.

Mons ille eſt fortunæ rota, in cuius ſummitate ignarem vulgus ſummam beatitudinem reperiri putat, cum tamen ibi nulla

ſit requies. Nec mirum ſi allucinetur: nam ad rumorem, non ad rationem compoſitum, magis credens, quam iudicans, ea optima exiſtimat, quæ magno recipiuntur aſſenſu; & exemplis perit alienis.

Pauperes ex humili fortunæ ſtatu ſuſpiciunt diuites in ſede celſiſſima collocatos, eoſque quaſi cœlo proximos admirantur. Sed quemadmodum conſpicilia, ſi ſint ex vitro tranſlucido, & nullius coloris, admittunt ſoles puros, & dies ſine fæce; ſi vero ſint colorata, & craſſa, renunciant oculis noſtris terræ vultum longe alium, & diuerſum à vero; Ita ij quibus cenſus exuberat, ſi proprio vtantur iudicio, ſe infælices eſſe intelligunt. Nec ſibi videri poſſunt alia ratione beati, niſi cùm mutuata errante plebis ſententia, quaſi vitro impuro & colorato oculis admoto, malunt alijs credere, quam ſibi; & cum grauiter ægrotent, & dolorem ſenſu percipiant, ſtulte tamen interrogant alios, an ſibi inſit voluptas, vel dolor; cum potius deberent ſe ipſos audire, & ſecum loqui. Et quidem pinguia rura, & cultiora, quam vſus naturæ deſiderat; vis magna congeſtæ pecuniæ; veſtes ſerico ſuperbæ, & arte conſpicuæ, ſupellex precioſa; lõgus ordo famulorum perite ſeruientium; plura denique poſſeſſa, quam nota; obſtringunt ita hominum mentes, vt eas nullo

tempore reſpirare permittant: nam & augendi cupiditate, qua nihil egentius, & amittendi metu, excruciant. Et quia ſæpe auferuntur cum vitæ periculo, pertimeſcunt diuites gladium, ſuſpicioſi ſemper, atque ſoliciti: & magno auri pondere onuſti, taciti contremiſcunt, qui vacui præſente prædonum turba cantarent. In ius diuitis ſucceſſurus inhiat loculis, quaſi lupus eſuriens, & moræ impatiens; iam nouit venena tractare; at pauperis tugurii hæres miſcere aconita non didicit. O igitur infælix diuitiarum fælicitas, quarum adeptione nobis eripitur cara & optata ſecuritas.

Quare in bonis non ſunt computandæ diuitiæ, cum noceant habenti. Contra autem cum liberalitas nos probos efficiat, nec manere apud nos poſſit quod in alium ex largitare transferimus, tunc accipiunt iuuare diuitiæ, cum deſinunt poſſideri. Terræ filii abiecti, & obſcuri, eos cœlo exæquari putant, quos dignitates euexerunt, & fecere conſpicuos. Sed non ſunt certa probitatis indicia; nam deferuntur à cœco fortunæ numine; ab errante ſcilicet, & repentino Principis arbitrio; cuius voluntas eſt pro ratione, & gratia pro virtute.

Quod ſi honores probis quandoque proueniunt, tunc in eis non commendatur honor, ſed probitas; non placet ſplendor

Pur-

Purpuræ, ſed Iuſticiæ. Non eſt qui veſtrum, qui poſſet riſum comprimere, ſi videret vnum aliquem ſibi Ius & Poteſtatem præ cæteris vendicantem inter formicas.

At ſapiens, qui ex ſublimi mentis arce mortalia proſpectat, terram quaſi punctum contemplatur: cui ſi maria, paludes, & montium iuga auferantur, nobis habitatio anguſtiſſima relinquetur.

Ex tanta igitur ſublimitate hominum concilia, atque certamina, quaſi apum examina, vel ranarum & murium prælia, deridet. Hinc triumphat nudus incola dolij, Macedonica admirante ſuperbia. In hac areatam parua, verſatur præclara Regum potentia.

Sed ſit terræ globus moles vaſta, & immenſa, in qua de peruulganda fama, & proferendo nomine laboramus.

In terras deducatur è cœlo ſapiens; & cum homo ſit, à ſe aliena non putet mortalia. Illi ſeria videantur, quæ ſerio geruntur. Certe ij, qui cupiunt cæteros præire, dantibus ſupplicant, & poſcendi humilitate vileſcunt.

Et ſi ſunt improbi, quod plerumque contingit, tunc dignitas illos non dignos facit, ſed magis oſtendit indignos.

Quod vos etiam de nobilitate dictum cenſete, cum ipſa maiorum claritas, eos

noſcibiles reddat, qui alioqui fuiſſent ignoti. Et quamuis hæc fortunæ dona, quæ foris emicant, & ſtulti venerantur, in malis enumeranda non eſſent, non propterea iure poſſemus de talium ſplendore gloriari. Fælicitas eſt intra nos poſita; Quare extra petenda non eſt. Principes viri, quos dignitas ſublimauit, variis veſtibus fulgent, ſed fulgor ille eſt veſtium, non hominum. Quod ſi, dum equos emimus, illis prius ornamenta detrahimus, vt ne quid omnino, quod venditor norit, ignoremus; cur homines phaleratos, & chlamydatos, & mendacis fælicitatis larua contectos, incaute mercamur?

Aegroti iacentes in lectulo, atque ii, qui ob corporis deformitatem ab omnibus deſpiciuntur, illos quaſi ſupra ſe collocatos intuentur non ſine inuidia, quos virium robur erexit, & ſublimiter extulit pulchritudo. At ſanitas cara, & optabilis, ſed fluxa eſt & caduca. Formæ elegantia ſummis expetitur votis, ſed citiſſime defloreſcit.

Nil homine imbecillius; illum ſæpe etiam paruæ beſtiolæ morſus interficit. Contra illum elementa ipſa coniurant.

In iugulum pueri templum intrantis decidit aqua hiberno frigore concreta, atque illum illico iugulauit. Vbi igitur mors non

eſt, ſi aquæ ipſæ à gelu, artifice maligno, in enſes conflantur, vt iugulent ?

Negare non poſſumus, quod ſicuti alcyonibus cœli ſerenitas affer nidificandi opportunitatem, ita etiam proſpera valetudo ſecurum præbeat, vt ita dicam, puerperium voluptatibus, quæ non in morbo, ſed in corporis tranquillitate naſcuntur; Sed dum illæ nimis feſtinanter erumpunt, bonam corporis habitudinem vitiant, & ſic ingratæ parentem necant. Sed ſi bona valetudo, quæ eſt ſuauiſſimum corporis condimentum, luxui indulgens, auertit animum à virtute, certe imbecillitas virium illum reuocat, & honeſtás iuuat actiones, quæ in integra ſanitate, è manibus effluxiſſent.

Quod cum diuinus Plato animaduerteret, Academiam ſub craſſo aëre conſtruxit: & nonnulli ſanctitate inſignes viri monachorum cœnobia in quibuſdam vallibus, in nemorum amplexu iacentibus, condidere, vt dum caro eſſet infirma, mens tanto facilius ad ſublimia conſcenderet. Nam & in corpore pingui, vt plurimum, anima macra; & herbarum luxuries, quæ in tellure humida, & iuſto lætiore dominantur, ſegetem necat humanæ rationis.

Formæ vero nitor ſuperbę eſt breue temporis donum, quod auolat nũquam reditu-

rum; eſt florum mutabilitate fugacius. Et inſignis ille Helenæ vultus, qui tot Troiæ excitauit incendia, euanuit exiguo calore febriculæ.

At ij quorum vultum luctu grauem mæſticia deiicit; quorum corda dolor excruciat,& mordet anxietas, vere illos credunt lunæ conterminos, hoc eſt finitimos ſupremæ fælicitati, in quibus geſtire videtur voluptaria animi elatio.

Sed quandoque ficta eſt hilaritas,& veluti hiſtrio æget corpore, & animo, ridet inter ærumnas. Eſt etiam plena anxietatis voluptatum appetentia; plena pœnitentiæ ſatietas. Intolerabiles dolores, & exitus triſtes,ſunt fructus nequiciæ, cuius ſi melle dulceſcit animus, etiam pungitur aculeis. Ex bonis etiam matribus praui filij procreantur. Hinc ex veritate odium; ex ſecuritate periculum; ex familiaritate contemptus; ex proſperitate ſuperbia; ex voluptate denique dolor, & pœnitentia.

Rationem facilem excogitauit natura qua explere, & ſedere poſſent homines cupiditates ſuas. Quod viuendi inſtitutum aureis illis ſæculis primi terræ hoſpites ſunt ſecuti. Sitientibus, & eſurientibus præſto erant fontes, & glandes. Si quis algeret, ſol plus ipſis auratis & ſericis veſtibus poterat calefacere, eratque ſuffragium facile

aduerſus cœli rigorem. Fatigatis humus cubile erat. Et eadem Tellus herbis gemmantibus picta cuncta ſpectacula varietate vincebat.

Hactenus neceſſariæ, & ſimplici voluptati conſtituti fines. Sed ſi his tranſgreſſis vlterius irrumpimus, tunc, ordine turbato, voluptas ducis ſibi aſſumit imperium; Et ratio, cui ſenſus regere erant artes, antiquæ virtutis oblita, tyranno ſubiicitur, qui rerum affluentia extollitur, & plenus audacię contumelioſus ſemper inſurgit.

Cum igitur ratio, quam tanquam imperatorem noſtri corporis natura conſtituit, exercitum deſerat; quid mirum ſi, vt cum Poëta loquar, Repperit inſanas Veneres vitioſa libido; ſi maria lacus, & ſyluæ vni coguntur ſeruire palato?

Vltimus ille Aſſyriorum Rex, qui vitam agens in luto libidinis, non erubuit nere inter ſcortorum greges; qui laſciuam Ariſtippi Philoſophiam, temperantiſſimo Epicuro iniuſte aſcriptam, optime didicit ſine doctore; qui in ſuomet buſto carmina illa iuſſit incidi, quæ, vt dixit Ariſtoteles, in bouis ſepulcro inſcribi potuiſſent; ex Syria ad Indos nauigaturus ſibi nauim comparauit præter modum amplam, & ſpatioſam, qua vniuerſas ſecum deportaret voluptates.

In eius regia conſpicui thalami viſebantur, limen egreſſis occurrebant pomaria malis punicis, piris & vitibus conſita. Nec deerant balnea, popinæ, cænacula, & aliæ turpiſſimæ libidinum officinæ. Extrinſecus erat iucundis depicta coloribus. intrinſecus vero, ad effigies rerum & animalium, vermiculata auro, & argento. Quamobrem cuncti Erithræi maris accolæ illam aſpicientes, fæliciſſimam iudicabant. Nec erat aliquis eorum, qui non ſummopere addici cuperet tam beatæ nauis obſequio.

Soluendi tempus aduenit: & quidem quandiu manſit aura ſecunda, quandiu fulſit cœli ſerenitas, tibiis, & fiſtulis vndique perſonabat. Vbi vero repentina oborta tempeſtas; ignara maris, nec reſiſtebat fluctibus, nec procellas vlla arte pellebat, ſed Inſulę fluctuantis in morem circumquaque infæliciter iactabatur. Nauigantes ſereno cœlo niminum confiſi, conſilii inopes, & malo perterriti inopinato, lugentes iacebant. Tandem omnia procellis, atque turbinibus fracta, & euerſa: Rex tabulam de naufragio ſtultus arripuit, atque ita miſerior defunctis, ſuperſtes vndis, ſeruatus in flammas.

Hęc fabuloſa nauigatio, plena aureis ruinis, & ſpecioſis calamitatibus, de iis mu-

tato nomine narratur, qui cunctis rebus illectricem præferunt voluptatem; hæc enim non longius diſtat à dolore & pœnitentia, quam nauis illa à naufragio.

Sed quemadmodum, licet mare plurimos erroribus implicet, eſt tamen ars quædam, quæ ſcit & vada, & ſcopulos vitare, & portum petere, & tenere; ita Arte omnium artium maxima, cui tanquam architecto humanæ vitæ, propoſitus eſt finis vltimus humanarum rerum, ad quem diriguntur fines cæterarum artium, poſſumus cautes duras, cænoſa litora, & Syrenas effugere, & tandem in bene fida ſtatione conſiſtere. Et pariter valemus, ne dum lunam, verum etiam ſolem tangere, ſi non montis, ſaltem mentis aſcenſu.

Luna permutationi obnoxia, cuius lumen nubeculæ quædam obſcurant, eſt typus humanæ fælicitatis, quæ in hac via potius, quam vita, modo illuſtrior, modo obſcurior apparens, innumeris agitatur permutationibus & ſemper gaudium cum dolore permiſcet.

Sol Syderum princeps eſt imago æterne beatitudinis: nam cum mens noſtra ſit lux ſincera, & veritas; debet ſupra omnes caligines in veritatis luce verſari.

Nec ſine myſterio in Inſula Delo Tem-

plo Apollinis hæc tria legebantur inſcripta, Optimum, Pulcherrimum, & Iucundiſſimum; nam in cæleſti fælicitate illa tria in gradu ſupremo conſpirant. Illic enim non premit inopia; potentia non deſerit, non recondit obſcuritas, non proſternit ægritudo, non fœdat deformitas, moleſtia non pungit.

Sed nobis inueſtigandum eſt, prius quid ſit maximum rerum expetendarum in hac vita: Si quidem humana fælicitas cæleſti comparata, eſt tanquam peregrinatio ad patriam, curſus ad terminum, pugna ad victoriam. Nec niſi ex lunæ globo, quæ cœlo vltima, & terris proxima eſt, nobis patere poteſt aditus ad luminum moderatorem, & patrem.

ANNVS QVINTVS.

ALloquimur vos, viri ornatiſſimi, quibus acer ineſt diſcendi cupiditas; & magnus animi impetus ad virtutem, & laudem.

Si ad beate viuendum ſine errore vllo Natura ſufficeret, non eſſet cauſa, cur diſciplinam aliquam agendæ vitæ quæreremus; neque noſtrum quiſquam principiis naturalibus abunde inſtructus, ſuper vacaneis vigiliis laboraret.

Sed quoniam Naturæ quidem inſtinctu ad beatitudinem ſtimulamur; quo autem in loco poſita ſit, non animaduertimus, & tanquam errantes in tenebris aliud pro alio frequenter accipimus: ideo cogimur confugere ad magiſtram bene viuendi Philoſophiam, quæ oculis noſtris caliginem eripiat, & veram oſtendat fælicitatem.

Et quidem qui hanc vitam enauigant, dum credunt in portum vela deflectere, ſæpe deferuntur in ſtationes infidas, quæ tunc maxime agitantur procellis, cum cenſentur immotæ ab acceſſu ventorum.

Occupantur alii in congerendis diuitiis: ſed in iis vltimum bonum, quod quærunt, non inueniunt; nam bona vtilia alio referuntur.

Quidam vitæ degendæ rationem adamant delicatam, & voluptariam. At in ea non conſiſtit propria hominis beatitudo; cum vita ſenſu directa ſit omnium animantium communis.

Nonnulli fælicitatem in honore putant. Sed etiam ipſi falluntur. Quid enim fælicitate conſtantius, quid inconſtantius hominum opinione?

Sunt & qui in virtute locatam tueantur. Sed euenit vt is, qui virtute pollet, quandoque in miſeriis, & luctu degat, deformis, æger, mendicus.

Hinc tanta in finibus diſceptandis tumultuantium certamina, & tot diſſentientes ſententiæ; quibus ducuntur in diuerſa mortales.

At non ſolum cæcutiunt vulgares homines, qui rectrice tantum Natura iter inſtituunt beatæ vitæ; Sed in difficultates pene inextricabiles delabitur ipſe Ariſtoteles, ad quem vnum tanquam ad ducem nocturnum, præferentem nobis lumen, & quendam, quaſi Deum Philoſophorum, conuerſæ ſunt omnes noſtri temporis Academiæ.

Et certe non abſunt dubitationes, & ſcrupula ab eius Philoſophia. Nam quid quæſo actioni ſecundum virtutem, in qua ſummum bonum poſitum aſſerit, cum vera fælicitate?

Felicitas eſt ſtabile bonum. Actio cito euaneſcit; quare ſi actio eſſet fælicitas, abſoluta actione, homo fælicitatem quaſi veſtem deponeret, in ſequenti actione reſumpturus.

Fælicitas eſt bonum, omni ex parte integrum, atque perfectum: ſed virtutis actiones ſimul eſſe non poſſunt, nec florent eodem tempore, ſed actio ſuccedit actioni.

Fælicitas non conſiſtit in habitu inerti, & otioſo (inquit ipſe,) quia habitus otioſus ineſt etiam in infortunatis.

Sed quid prohibet, quominus etiam inter maxima infortunia nos operoſa virtus exerceat? Aut quis negare audebit, Priamum potuiſſe conſtanter agere, licet maximis calamitatibus prægrauatum?

Fælicitatem eſſe vltimum finem, omnes vno ore pronunciant. At actio non eſt finis, ſed potius via ad finem: cum ſit quidam motus, & quilibet motus in aliquam terminum neceſſario dirigatur.

Quod licet Ariſtoteles, vt ſui defenſor propoſiti, negare debuiſſet, adductus tamen veritate, repente confeſſus eſt in procemio Ethicorum cum dixit, Omnis actio bonum quoddam expetere videtur. Affirmauit etiam alibi, actiones morales per ſe expetibiles non eſſe, ſed finem aliquem affectare. Quod eſt vero verius; nam nemo agit, vt agat, ſed vt aliquid conſequatur. Non enim quis bibit, vt bibat, ſed vt ſitim pellat; nec fortiter agit, vt fortiter agat, ſed vt prouideat ciuium ſaluti, & hoſtium obſiſtat iniuriis. Quod quamuis Philoſophus animaduerterit, non tamen vitauit incommodum.

Quare actio conſentanea virtuti non eſt fælicitas, ſed via ad fælicitatem, &, vno verbo dicamus, eſt ipſa fælicitatio. Multo magis mira illa, & ſolida voluptas, quæ honeſtas conſequitur actiones, videtur fælicitatis

titulo decoranda: Nam voluptas propter ſe, actio propter aliud expetitur; vnde male quærimus, cur quis velit delectari, ſed bene quærimus, cur quis velit operari: Neque honeſtate, aut actione ſecundum virtutem homines mouerentur, niſi aliquem ex iis perciperent voluptatem. Quid igitur mirum, ſi illorum ingenia, qui dementes & temerarii accedunt ad gubernacula beatæ vitæ, quaſi in ſalo fluctuantia conſpicimus; cum rector nauis peritiſſimus aberrans à fine, tamquam ab Arctico polo, illam euertere in portu, & naufragium facere videatur?

Sed quam obſcura, & abſcondita ſit virtus, ne dum oculis vulgi, ſed etiam acuto, & perſpicaci Ariſtoteli, hinc apertiſſime colligamus.

Virtutem dixit eſſe habitum cum recta ratione electiuum. Sed neque id difficultatibus caret: ſi quidem in homine incontinente ineſt recta ratio, & recta electio; (nam recte cognoſcit, atque eligit) & tamen in eo non eſt virtus; cum aliter agat, quam cognouerit, & elegerit.

Quare opus eſt, vt virtus ſit habitus cum recta ratione agendi, non eligendi tantum.

Neque ex pluribus rectis electionibus (eiuſdem ſententia) ſed ex frequentatis

actionibus ſit virtus. At ea, quæ virtutem habitam conſequuntur, eſſe debent ſimilia iis, quæ in eius generatione præceſſere; quare erit habitus actiuus, non electiuus. Non tamen propterea excluditur electio. Nam qui habet agendi habitum, habet etiam eligendi. Sed inter electionem rectam, & actionem, interueniente cupiditate, vel ira, cadere impedimentum poteſt.

Quod ſi fælicitas eſt actio ſecundum virtutem, vt ipſe aſſerebat, ad hanc aſſertionem, qualiſcunque ſit, apte, & congruenter dicere debuiſſet, Virtutem eſſe habitum agendi appoſite ad fælicitatem.

Sed neque aptior definitione iam dicta, videtur illa eiuſdem Philoſophi, vt virtus ſit mediocritas quædam circa perturbationes, & actiones.

Hæc eſt potius deſcriptio, quæ virtutem per quædam communia declarat. Nam exuperationem, & defectum fugiunt omnes artifices. Sed conſtituenda non erat ſubſtantia virtutis in quadam differentia, cunctis artibus communi. Neque virtus dicenda eſt mediocritas circa perturbationes, niſi ex accidenti (quod ſcholaſtici materialiter dicerent.) Quare quemadmodum Medicina, non mediocritas circa alimenta, & medicamenta; ſed proprie dicitur habitus reſtituendæ bonæ valetudinis: ita, exempli.

gratia, Manſuetudo appellari non debet mediocritas, inter nimium, & parum iraſci; ſed habitus rectè tuendi ſe ab externis iniuriis.

Quamobrem dicendum potius videretur, Virtutem eſſe habitum, à quo bonus redditur homo, & quo bene finem illum conſequitur, ad quem eſt à natura progenitus.

Verum eſto, vt cenſet Ariſtoteles, ſit ſane virtus mediocritas quædam. Certe ſtabilem rationem mediocritatis docere debebat, & figere terminos, ac locum ipſum ſignare; vt in quo conſiſtat virtus poſſemus ad punctum conſtituere, & tanquam ſagittarij collimare. Nec ſatis erat dicere, agendum eſſe, vbi, quando, & quantum oportet; ſed præterea docendi erant homines, quonam modo agendum eſſet; quod tamen non præſtitit: ſicut etiam de conſultatione, & electione differit quidem, nunquam tamen docet, quomodo à nobis ſit conſultandum, aut eligendum.

Huiuſmodi inconſtans, & vaga mediocritas, à qua non attinguntur extremitates, ſi fatendum eſt libere quod ſentimus, eſt veluti nauis fluctuante oceano, anchoris quidem alligata, ne illidi poſſit ad litus; ſed medio in ſpatio huc & illuc decurſat; neque vbique eſt eadem, ſed varia-

tur moribus, opinionibus, atque temporibus.

Si volebat Ariſtoteles nos certis veſtigiis, quaſi manu ducere ad cognitionem perfectam virtutis: debebat titubantem iſtam mediocritatem ratione aliqua, tanquam vinculo conſtringere, vt non obſcuris, ſed claris, & conſtantibus notis ea poſſet intelligi. Sed illam reiecit ad occaſiones, & tempora, quorum numquam eſt eadem, neque ſimilis obſeruatio.

Et quemadmodum in medicina non ſolum dicitur, contraria contrariis eſſe curanda; verum etiam oſtenditur, quæ ſint vni morbo, & quæ ſint alii contraria, & quo pacto debeant adhiberi: ita in ciuili facultate, non ſolum dicendum erat, agendum eſſe vbi, quando, & quantum oportet; ſed etiam docendus modus in ſingulis actionibus, & diligentiſſime explanandus.

Quare miramur, Ariſtotelem particularia, quę ad ipſius artis explicationem neceſſaria ſunt, prætermiſiſſe: qui enim particularia negligit, prudentiam videtur excludere, quæ intellectus practici perfectio eſt, & circa particularia verſatur; Vnde multo magis Stoicos laudandos putamus, qui hanc quoque partem non neglexerunt, inter quos Panætius, Marcus Tullius, Seneca, Epictetus.

Non igitur ſibi perſuadeat Ariſtoteles, cum dixerit, prudentiam eſſe habitum cum recta ratione agendi, ſe iis verbis prudentiæ tradidiſſe doctrinam, & omnem facultatem ciuilem in ſola prudentiæ definitione conſiſtere. Nam certe huiuſmodi rectitudo vberius fuerat declaranda.

Quamobrem iure, ac merito de ſe ipſo dixit; ſe libris ſuis non pinxiſſe virtutem, ſed vt figuram quandam pingui tantum Minerua adumbraſſe.

Hæc ſi vera ſunt, quam præclare locauerit Philoſophus fundamenta Moralis diſciplinæ, quiſque veſtrum facile intelligit.

Sed quia nimis longum eſſet, cuncta eius placita atque decreta accurata conſideratione expendere, concedat benignitas veſtra, vt poſſimus ſaltem præcipua parce tranſcurrere.

Præcipit Philoſophus, oportere nunc ad exuperationem, nunc ad defectionem declinare, quemadmodum faciunt ij, qui ligna contorta in rectum dirigunt, vt hoc pacto medium ipſum facile conſequamur. Hoc præceptum probari non poteſt. Nam ſi ex frequentatis actibus fit habitus, qui diriget actiones ſuas nũc ad prodigalitaté, nunc ad auariciam, nunquã liberalis fiet, ſed potius determinabitur ad illud extremum, in quo magis exercebitur, quam ad medium.

Illud

Illud etiam ſequeretur, vt quis male agendo, diſceret bene agere; quod videtur abſurdum.

Idem exiſtimat, partem irrationalem nihil agere inconſulta ratione, & ſine iuſſu eius, ſed ab ea dirigi, & moueri: Sed quemadmodum concupiſcibilis, non rationis conſilio eſurit, aut ſitit, ſed ſuctu ventriculi excitata, ita ira non ratione dictante, ſed læſione impellente videtur inſurgere.

Neque admonitiones demonſtrant, vt credit, partem ratione vacantem obtemperare rationi nam illas pars irrationalis non audit.

Admonitio eſt proprii officii oſtenſio. Officium eſt recta actio ad finem perducens, quæ non niſi à recta ratione percipitur. Præterea qui admonet vtitur argumentis, quæ non pertinent niſi ad partem intellectiuam. Quare vires iſtæ ad motus, qui ſibi ſunt naturales, non videntur egere opera ipſius rationis.

Etiam ſtatuit, neminem reſpicientem ad malum operari: vnde, eius ſententia, ſi aliquis cognoſcet, furari eſſe malũ, non furabitur; &, ſi furabitur, id erit aut quia, tanquam ebrius, eſt oblitus huius principii vniuerſalis, furtum eſſe de genere mali; ſicut intemperans facit; aut quia id parti-

E

culare non agnoſcit furtum eſſe, nec ſub vniuerſali contineri, quemadmodum facit incontinens.

Sed id videtur repugnare experientiæ, cum multos videamus ipſum vniuerſale probe cognoſcere, & particulare quod ſub eo eſt, non ignorare, & tamen labi. Vt cũ quis furatur, furari malum putat, & furtum ipſum ſingulare cognoſcit, & nihilominus proſequitur. Sed in hunc errorem inducitur, quia exiſtimat, vnam tantum eſſe nobis cognitionem; & cum actio ab appetitu procedat, appetitus autem à cognitione, quia vnica eſt cognitio, iuxta ſua principia, vnicus etiam erit appetitus, & vnica actio.

Sed nec ſatis commode explicare poteſt, qua ratione homines praui boni fiant; cum aſſerat, vitia incurabiles ægritudines eſſe. Nemo tamen adeo ferus eſt, qui non miteſcere poſſit. Neque à vitiis principium corrumpitur, cum incorruptibile ſit. Quemadmodum enim intellectui ſpeculatiuo à natura eſt inditus habitus principiorum, quo dirigimur circa ea, quæ in ſpeculatione verſantur, ita practicæ rationi alius habitus eſt ingenitus, quo dirigimur circa agibilia, qui ſyndereſis appellatur, & à Theologis dicitur conſeruatio, quia diuinum in animo lumen, & naturæ leges conſeruat. Quod ſi vitioſus incurabilis eſſet, illum nõ

pœniteret; & tamen docet experientia, plurimos homines perditos, vel per ſe ipſos, vel alieno monitu, & conſilio, ceu expergefactos, veteres mores deteſtari. Quod ſi fieri non poſſet, actum eſſet de arbitrii libertate.

Virtutes omnes idem Philoſophus ſtabili iunxit connubio. Quare ſe conſequentur, & qui vnam habet, omnes habebit. Sed nō in ſingulis modò hominibus, verum etiam populis, aliæ virtutes laudari, aliæ deſiderari videntur. Fortis Cæſar erat, at idem prodigus, & fortaſſe intemperans, prout etiam Alexander. Plato Spartanos fortes, ac temperatos vocat, iniuſtos tamen.

Hæc experientia videtur eſſe conſentanea rationi. Nam ſi virtutum habitus ex frequentatis actibus fiunt, & non confeſtim omnes quaſi diuinitus infunduntur, pauper, qui in actionibus temperantiæ exerceri poteſt, in iis autem, quæ ad liberalitatem ſpectant, non poteſt, temperans forte, non tamen liberalis euadet.

Neque dicendum, virtutes omnes eſſe vna prudentia, tanquam communi vinculo, copulatas. Nam pro virtutum ſpeciebus ſunt prudentiæ ſpecies diuidendæ, & multiplicandæ.

Et poteſt quis eſſe prudens in bello, & non in eroganda pecunia. Non ergo in-

credibile eſt, quod quis vna tantum virtute, aut altera præditus, cæteris careat; ſicut non eſt abſonum veritati, quod vna tantum, aut altera prudentia inſit, & nemo abſolute ſit prudens.

Sed non poſſumus diſſimulare ſilentio inanem Iuris definitionem, quam tradit Ariſtoteles, cum ſtatuit, ius eſſe proportionum paritatem. Proportio non eſt propria differentia, ſed omnibus rebus communis, non eſt quid reale, ſed logicum. Vnde magis dici deberet paritas commodorum, quam proportionum.

Nec videtur verum, Ius diſtributiuum in Geometrica, commutatiuum vero in Arithmetica proportione conſiſtere. Sed in vtroque Iure arithmetica proportione proceditur.

Nam, vt in commutatione pretio æſtimantur bona tradita, & accepta, nec habetur ratio perſonæ, ita in diſtributione æſtimãtur labores, & merita ipſorũ Ciuium.

Neque nos fallat, quod in Republica optimates capiunt plura cæteris, licet non videantur plus laboraſſe. Non enim iis plura dantur, quod plus egerint, ſed quod parentum meritis, quorum ipſi ſunt hæredes, & creditores, plura debeantur. Quo fit, vt eandem vbique rationem ſequamur, ſi vt in commutatione merx merci ita

in diſtributione præmium labori comparetur.

Illa etiam Iuſticia vniuerſalis eadem quod ad ambitum cum omni virtute (quia cuicunque ſuum præſcribit officium) nullo pacto videtur admittenda. Non enim, qui pugnat iuſſus à lege, fortis dicendus eſt, quia non ſponte, ſed inuitus conſerit mãnus. Hic ergo dicetur iuſta agere; & huiuſmodi iuſta non ſub vniuerſali Iure ab Ariſtotele excogitato, ſed ſub commutatiuo continentur. Nam qui pugnat iuſſu Principis, tribuit patriæ ius ſuum; quod Iuriſconſulti Iuris particularis & proprie dicti præceptis annumerant.

Neque Iuſticia videtur præſtare cæteris virtutibus: imo tantum abeſt quod virtus præclariſſima ſit, vt neque ſit virtus ex numero earum, quæ in benefica ſocietate agunt gratia honeſtatis. Nam iuſtus bonum publicum, & priuatum, ſine ſpontanea ſui læſione & incommodo quærit; at virtute proprie dicta, alienum quæritur commodum, etiam cum aliqua læſione, & incommodo agentis ſponte accepto.

Denique admiratione dignum videtur, ſolam iuſticiam ex omnibus virtutibus dici ad alium, & alienum bonum affectare. Et qui hoc aſſerit, videtur parũ inſpicere virtutum moralium naturam, & præcipue li-

beralitatis; & ſequeretur, quod illa non poſſet pecunias ad alienum commodum erogare, ſed dumtaxat ad ſuum.

Alicui fortaſſe veſtrum nimis imprudens videbitur audacia, imo etiam improbum, ac pene furioſum, leges Principis Philoſophorum abrogare, eique diripere honoris,& auctoritatis inſignia longi temporis præſcriptione acquiſita. Sed comprimat parumper murmura, & erumpentem iram.

Penelope, vt fidem ſeruaret Vlyſſi, noctu retexebat, quod interdiu texuiſſet; & nos conabimur. lucubrationis noſtris ſoluere quod confirmanimus, & deſtruere quod effecimus; ne cum prima ab adoleſcentia in caſtris Reipublicæ Peripateticæ Sacramento dixerimus, nunc videamur defeciſſe.

Scopulos Ariſtotelici maris demonſtrauimus, vt caute, & ſtrenue nauigemus, & tanto maiore contentione animi, atque conatu quiſque noſtrum ſe comparet ad hanc præſtantiſſimam facultatem, quanto magis philoſophandi ratio videtur periculoſa.

Sunt omnibus igniculi quidam iudicii diuinitus inditi quare qui ſine alia inſpectione, aut examine ducuntur more pecudum in aliorum ſententias,&iurant in ver-

ba doctoris, quaſi ſponte amiſſo vſu oculi dextri, ſiniſtro tantum lumine aſpiciunt. Propria,& mutuata luce, vt faciunt ſtellæ, noſtrum ſcintillet ingenium. Mutuata quidem maiorum inuenta percipiat; ſed propria perueſtiget ea,quæ maioribus fuerunt ignota. Neque id ſatis in facultate Morali. Namque ea quæ ab aliis accepimus, & per nos ipſos inueſtigauimus, appetitionibus noſtris à bona educatione profectis examinari etiam debent; quemadmodum aurum, igne, aut lapide Lydio probari ſolet. Quare exempli gratia de veritate huius pronunciati.

Abſtinentia paſſiones ſuperantur. interrogandus eſt appetitus recta ratione edomitus, qui dictæ propoſitionis ſæpenumero fecit experimentum.

Nec conqueri debemus de ipſa natura, quod rerum ſcientias tot obduxerit difficultatibus, & fælicitatem ipſam, quaſi duris obuolutam corticibus, nobis tradiderit enucleandam. Gemmæ, non in ſummo, ſed in montium venis deliteſcunt: & multo charior, & pretioſior rerum notio, quæ in abdito conditur, & ſudoribus comparatur.

Quod ſi in ſubtilitate, & eloquentia diſſerendi, in rerum naturalium cauſis perveſtigandis, in cœli motibus deſcribendis

occupamur, multo magis oportet diligenter, & laborioſe verſari in Officiorum ſcientia, in optima omnium diſciplina; vnde manat honeſtatis cognitio, & beatitudinis conſecutio; ad quam referre debemus cuncta noſtra conſilia.

Sed cum hoc veluti fundamentum ſcientiæ moralis ſubiiciatur, virtutem in actione conſiſtere, rem adeo eximiam, poſitam in vigore animi, non traducamus ad ſolas diſputationes. Nam id facientes amplecteremur verba pro factis, vaniloquentiam pro ſapientia.

Definiamus quidem, & ratiocinemur, ſed vt agamus; non inſiſtentes, tanquam in vltimo fine, in noſtris definitionibus, & ſyllogiſmis.

ANNVS SEXTVS.

PRæclaram, & neceſſariam ſcientiam tradimus de Officiis, ex præſcripto nobis officio.

Officium eſt quod vnuſquiſque facere debet pro conditione perſonæ. Fontes vnde manant officia ſunt virtutes Morales. Hi puri ſunt, & perſpicui; quia in fundo reſidet pars fæculenta & lutulenta affectionum, quæ ſunt animi quaſi ſedimentum, & fæces.

Quod ſi affectiones non ſunt comparabiles fæcibus, & ſedimento, (cum rationi inſeruiant, ſi corrigantur) certe animus virtutibus & prudentia ornatus eſt ſimilis naui, inſtructæ nautis, & gubernatore. Affectiones ſunt venti: Officium nauigatio.

In hoc probo & pulchro nauigio gubernatrix prudentia nauigat, quæ ſedet in puppi, clauum regit, ſcit quomodo & quando oporteat nauigare.

Virtutes ſunt nautæ, quorum munus eſt apte vela tractare. Tunc vero ſuum implent officium, cum nec nimis vela contrahunt, nec furentibus affectionum ventis tota permittunt.

Et quidem cum maris fluctus omnino quieſcunt, & languent, nauis ſe loco mouere non poteſt. Cum flatibus validis minaces vndæ attolluntur, deprimitur, vel in æſtuaria compellitur. Sed cum æquatæ ſpirant auræ, tuta, & ſecunda eſt nauigatio.

Otiatur aliquando animus, atque torpeſcit, deſtitutus omni aura appetitionum. Laudem, gratiam, dignitatem ſpernit iniuria atque ſocordia.

Interdum affectiones vehementer vrgēt; & tunc rationem proſternunt; ſibique aſſumunt imperium. Quandoque leniter excitantur, & rationem ſequuntur ducem.

Innumeris, quaſi ventis mare, affectionibus agitamur, quæ ſi placidæ inſuſurrant animo, nos in officio excolendo iuuant. Si mutæ ſilent, vel nimium furentes inſaniunt, officium omne peruertunt.

Sed primæ tantum hodierna die noſtris mentibus obuerſentur. Nam etiam nautæ ventos flantes à quattuor cœli regionibus præcipue obſeruant: In reliquis vero quos laterales vocant (cum ſint primarum participes virium) non admodum elaborant.

Affectionum numerum quærimus? Nobiſcum loquamur: ſiquidem rebus in dubiis, non ab extraneis, qui nos plerumque decipiunt, conſilium petere debemus ſed conſulere nos ipſos, & ab internæ mentis domeſticos oracula reſponſum veriſſimum expectare.

Quare animum noſtrum hac de re percontari, eumque viciſſim audire decreuimus.

Ille interrogatus talem profert ex perturbato, ſed tamen veraci corde ſententiam.

Si mihi obiectum aliquod ſub ratione boni proponitur, amore propendeo. Si longe abeſt, accendor deſiderio. Si præſens eſt, afficior delectatione.

Si offertur aliquid naturæ contrarium,

excitatur odium. Si imminet, oritur fuga. Si me nolente aduenit, naſcitur dolor.

Quod ſi in bono abſente aſſequendo ineſt aliqua difficultas, ſed occurrat mediū, quo illud aſſequi poſſim, ſpe recreor. Si vero nulla eſt via, deſperatione cōficior.

Pariter, ſi in malo abſente repellendo eſt aliquod impedimentum, ſuperabile tamen; in me inſurgit audacia. Sed ſi ſuperari non poteſt, me timor inuadit. Et tandem cum ineuitabile malum ſua præſentia me excruciat, iraſcor; & ſi illud non poſſum propellere, conor ſaltem, in eo qui intulit, vindicare.

Has vndecim perturbationes auidis auribus excepimus animo dictante magiſtro.

Amor rerum dominus, poëtarum carminibus inclytus, principem ſibi vendicat locum.

Huius tanta poteſtas eſt, vt ſuperos flectat, & agreſtium corda demulceat.

Dictus eſt etiam Acheronta mouere cum inexorabilis infernus iudex, qui in cæteros ſtricto iure vtitur, ſolis amantibus reditum ad nos benigne permittat.

Hinc fortaſſe dictatori comparatur, quo creato ceſſant omnes magiſtratus.

Sed mittamus fabulas, atque metaphoras.

Non hic vos carmine ficto, Atque per ambages, & longa exorſa tenebo.

Amor eſt complacentia appetibilis: eſt habitudo intima ad id quod animo eſt iucundum: eſt quoddam quaſi pondus in obiectum. Sed non eſt motio appetitus, vt quidam falſo exiſtimant, neſcientes amorem à deſiderio diſtinguere.

Et quidem motio, quæ eſt via in terminum, termino præſente langueſcit; ſed Amor, dum præſentibus fruimur, magis flagrat, & viget.

Caſto, & nobili accendimur igne, cum ex terræ cœno emerſi mentem erigimus ad cœleſtia.

Amore indigno deuincimur, cum à ſuperna pulchritudine auertimus oculos, eoſque ad materiam conuertimus.

Et vt ſolem directo obtutu intuetur Aquila, cæteræ vero animantes id ipſum ægre ferunt, ſic in diuinum fulgorem ii ſolum aciem mentis obuertunt, qui à ſordibus purgati dedignantur materiæ commercium.

Prima amoris proles eſt deſiderium; quod eſt motio, & extenſio appetitus ad bonum, abſens, aptum, & conueniens naturæ.

Corrigitur deſiderium, ſi verſemur in vita ſicut viri nobiles & temperantes in cœna. Si fercula ad illos perueniunt, ea modeſte capiunt: ſi tranſit qui fert epulas, illum detinere non audent. Si nondum adeſt,

non longe extendunt appetitum, ſed dum veniat expectant.

Villæ quædam in agro Vicentino ſitæ, iuxta Aeoliam, quam ſpecus horrendum, & ſæui ſpiracula Ditis, dixiſſet poëta, excipiũt ventos cum quodam moderamine, & certa quadam menſura: atque hoc nouo, & admirando flabello tenue frigus ventilant æſtuantibus. Ita cor noſtrum facere debet in excipiendis flatibus affectionum. Nimii inflant, moderati addunt honeſtis actionibus robur, & firmitatem. Quod in honoris cupiditate præſertim perſpicere licet. Nam ſi illa conſurgit inſaniens, nos tumidos, & ambitioſos facit; ſi leniter afflat, moderatam honoris appetitionem inſpirat.

Sed contemptus rerum humanarum non ſolum corrigit cupiditates, ſed eas radicitus euellit. Hinc quidam Germaniæ populi, quibus mira feritas, fœda paupertas, non arma, non equi, non penates, victui herba, veſtitui pelles, cubile humus, non conſpiciebantur agris ingemere, non illaborare domibus, nec ſuas, & alienas fortunas, ſpe metuque verſare.

Si non admirabimur purpuram, nec nos ſtrangulabit honorum ſitis. Si ſpernemus diuitias, nec vulturis roſtrum aut vngues præcordiis patiemur. Ita eorum, qui à Principũ limine non recedunt, deridebi-

mus curas, contentiones, curſitationes, anhelitus.

Deſiderii expletionem ſequitur voluptas, qua perfundimur cum ſumus deſiderii compotes facti.

Voluptas non eſt motio animi, ſed potius quies, quæ conſequitur functionem bene diſpoſitæ facultatis.

Explorauimus ventos ſecundos; exploremus nunc etiam aduerſos. Amor, deſiderium, voluptas, à puppi ſurgentes nos euntes ſunt proſequuti; & eorum fauorabilis aura ad exitus peruexit optatos. Nunc reflantibus odio, fuga, & dolore, repellimur à portu, quem antea tenebamus.

Odium eſt diſplicentia appetitus in re ſibi minus conueniente. Atque amori opponitur, vt negatio affirmationi.

Affirmat amor cum tendit ad bonum. Negat odium cum recedit à malo; Et quod affirmatio, & negatio præſtant in mente, amor, & odium exercent in appetitu.

Ab odio mali oritur fuga, ſeu auerſatio, quæ eſt contractio animi à malo abſente.

Remedia importunarum auerſationum ab opinionibus ſunt mutuanda. Multa enim auerſamur quia falſis, de rebus, opinionibus ducimur. Mortem non auerſati ſunt Martyres, quibus illa non eſt inter-

itus omnia tollens, omnia delens, ſed portus ex longa nauigatione tranquillus, tutiſſimum ſolicitudinum & laborum perfugium.

Fugam ſubſequitur dolor, qui tunc excitatur cum nos malum præſens excruciat.

Dolor eſt triſticia animi de malo præſente. Imitatur grauium & leuium moram inuitam in loco non naturali. Et quidem mœſto detinetur carcere animus, & quaſi ad palum alligatur, cum incidit in malum, quod cauere non potuit.

Præclara doloris medicina eſt humanæ conditionis conſideratio. Nam ſic cum Epicteto numquam nos quicquam perdidiſſe dicemus, ſed reddidiſſe.

Primis affectionum flatibus exploratis, inſpiciamus etiam reliquos, à quibus accurritur, cum primi egent auxilio atque ſubſidio. Auxiliares in bello, ſocii conducebantur ad prælium ex diuerſis locis, vt diuerſis muneribus fungerentur.

Subſidiarii milites ad longioris pugnæ caſus reſeruabantur. More iſto, atque inſtituto viuitur in exercitu ventorum; quos furentes, atque luctantes noſter appetitus ex antro cordis emittit.

Spes affert auxilium deſiderio, in aſcenſu boni difficili, & arduo. Audacia fugam tre-

pidantem ſiſtit, & reprimit, eique laboranti ſubſidium opportune ſubmittit.

Ira dolori amarulento, ob acceptam iniuriam, inſtillat dulcedinem vltionis.

Spes eſt appetitio boni abſentis, ardui, poſſibilis.

Sed quia ſpe, quaſi præſentia redduntur obiecta, ideo ſperantes dici merito poſſunt elicere primitias voluptatis. Libat enim ſpes, & ſperati boni arrham quandam præguſtat.

Spes accurrit deſiderio: nam dum illud ſuo impetu fertur in finem, hæc tota in mediorum difficultate verſatur.

Hinc dicitur parandorum bonorum principium: Hinc à natura, quaſi ianitrix pro foribus eſt collocata.

Et propterea, cum cætera numina gentes fugerent ſceleratas, ferunt, ſpem Diis inuiſam, in terris ſolam remanſiſſe.

Spei opponitur deſperatio, quæ eſt receſſus ab appetitione boni, ex opinione; quod nunquam eo ſit potiturus.

Deſperationis effectus ſunt negligentia in rebus agendis; ceſſatio à præclaris actionibus; vita voluptatis mancipata. Sed quandoque etiam (quia neceſſitas acuit ignauiam) ex deſperatione creſcit audacia, & cum ſpei nihil eſt, ſumit arma formido.

Au

Audacia, quæ fugam trepidantem compeſcit, aggreditur ea, quæ ſunt ſupra vires, & malum nititur ſuperare. Gignitur ab opinione propriæ virtutis, vel aduerſariorum imbecillitatis; ab ingenio præcipiti, & parum in rebus gerendis exercitato.

Hinc audaces vbi primum impetum effuderint, ac terribilia longe grauiora fuerint experti, deferuent, ceu aqua feruens infuſa frigida, &, vt animalia quædam, aculeo amiſſo, torpeſcunt.

Audaciæ contrarius eſt timor, qui eſt impendentis mali expectatio. Præcipue autem timor enaſcitur ex vita in aliorum fide locata; nam cum multi fidem fallant, is, qui ſe credidit alteri, animaduertit, illam in loco nimis lubrico, & periculoſo poſuiſſe.

Illud autem in timore ſæpe contingit; quod ab eo per expectationem mali plus moleſtiæ infertur, quam ab ipſo malo præſente. Ideo qui futurum exilium, aut pugnæ exitum expectant, in magna degunt animi acerbitate: ſi vero patria pulſi, aut victi fuerint, depoſita moleſtia, ſuauius interdum quam felices ipſi, dormiunt, & epulantur.

Et hinc aliqui cum impendentis mali cogitationem ferre non poſſint, in ipſa mala

ſe coniiciunt; quaſi minorem ſolicitudinem habituri.

Reliquum eſt, vt dolori quam celerrime ira ſuccurrat, quæ ideo merito dicitur affectus illius reponendi.

Ira eſt appetitus vindictæ cum quadam ſanguinis accenſione. Eſt affectio cum ſui ipſius tormento, quia dolorem, cum referre vult, patitur, & dubia optatæ vltionis, amara ſemper, ſolicitudine vexatur.

Duplex autem exiſtit; altera quidem diuturnior, & permanentior; altera vero acrior quidem primo & concitatior, ſed cito placabilis.

Primam noſtri rancorem appellant. Eſtque illiberalis, & contumacis naturæ ſignum. Et eos in quibus viget, amaros, & difficiles vocant.

Altera à noſtris dicitur excandeſcentia, & in iis plerumque eminere videtur, qui animo ſunt ingenuo, & liberali & acuti; & iracundi nuncupantur.

Sed generatim, atque vniuerſe loquendo, ab impetu iræ animi exiles & muliebres cito, & facile diuexantur; quemadmodum corpora imbecilla à vento, ſole; frigore, citius & facilius afficiuntur.

Magnanimi vero, licet ab innato calore ſint ad iraſcendum promptiores, tardi nihilominus iraſcuntur; quod vilia pu-

tant, quæ grandia puſillanimis ſemper apparent.

Prohibetur ira, ſi iniuria à potentioribus inferatur.

Non enim poſſumus ſimul timere, & iraſci.

Augetur ab excellentia conditionis, & ſtatus: nam qui ſoli eſſe volunt, excandeſcunt; etiam ad vmbram, & volatus muſcarum.

Eadem ceſſat in timentes, & ſe demiſſe gerentes; quare canes non mordent proſtratos.

His flatibus, quos ordine narrauimus, ſi ſint nimium validi, creſcit in immenſum noxia cura mortalium.

Sed hoc coërcet ars nautica Philoſophiæ. Hæc magiſtra vitæ, ea nobis iniicit fræna, vt ſolio in alto reſidens animus, luem ſomni ventriſque compeſcat, & ignes ad contentiones incenſos premat.

Somnus in vmbra nos torpentes detinet; & rubigine conficit ingenium.

Luxus auido gurgite exhaurit antiquas diuitias, & ſubdit cupidinibus faces. Hinc flagrat vetito amorum æſtu mens impia, & improbam explet ingluuiem.

Perfurit indomitæ iræ violentia, minas, verbera, neces conduplicat: rapit in bella ciues; & cõſanguinea cęde patrios lares aſper-

git. Impellit ad prælia populos, atque vrbes odiis eradicat.

Sed tantis malis præcidimus cauſas, ſi noſtri, ſeſe obiiciat oculis inclyta virtutum ſeries.

Noſtrum munit pectus Prudentia, quæ tarde inquirit, cum perſpicacitate iudicat, celeriter præcipit, & operatur. (à qua huius annui curſus ducetur exordium.)

Micanti ſidere fulget Iuſticia, quæ humanum genus, aſſuetum requieſcere nemorum dorſo, & tolerare vitam in ſyluis, excoluit legibus, & quod immane erat, & ſolitarium, manſuefecit, & congregauit.

Succurrit Fortitudo, quæ, in publico ciuitatis metu ac trepidatione, irruenti ſeſe hoſtium agmini opponit: non tubarum ſonum, non equorum hinnitus; non armorum fulgorem, non tinctos cædibus gladios extimeſcit; & periculum ab aliis, vitæ ſuæ periculo, depellit: pro aris, & focis, pro templis, ac mœnibus, pro ſalute, ac libertate communi, ictus, vulnera, mortem denique, ſi res ferat, non excipit tantum, ſed etiam appetit.

Adeſt Temperantia; ne turpibus polluantur flagitiis pectora: & dum incipit cupido ferueſcere, illa nos pudore deterret,

ne Circes venenum immedicabile miſeris faucibus hauriamus.

Sed quoniam prima bonorum origo ducitur à luminum patre; pietas noſtra ſe attollere cœlo incipiat, &, cum vita hominum per varias iactetur procellas, dicamus cum fiducia:

Tu qui humanæ gentis infortunia, & inanes curas deprehendis, da nos antiquæ memores patriæ tui ſimulacra vultus aſpicere: & quia in cœcas pelagi Syrtes, in ſæua Charibdis diſcrimina; lacera puppi præcipites ferimur, & fruſtra obnitimur rapidis affectionum flatibus, & tumidis vitiorum vndis; ne ſternamur flatibus, ne mergamur vndis.

Tempera ventos, comprime fluctus.

ANNVS SEPTIMVS.

ITerum, ac tertium ciuilem Philoſophiam tradere incipimus. Hæc eſt illa itineris Dux; quam ſequi neceſſarium eſt omnibus, qui non penitus aberrare, ſed ad beatam vitam peruenire contendunt. Hæc eadem oſtendit, calamitates, quæ nobis obueniunt, non auferre fælicitatem, non euertere prouidentiam, non expugnare conſtantiam.

Sed hîc ſtatim maxima admiratio nos ca-

pit; Cur cæteris artibus perpetuo inuigilet anxia cura mortalium: hanc vero artem artium, quæ, quo pacto illis vti conueniat, ſola docet, mirifice negligant; quaſi conſpiratione facta. Quid enim proderit militaris facultas, aut familiaris, aut iuris prudentia, aut medicina, ſi parta demum victoria, diuitiis, cognitione iuſti, & iniuſti, & proſpera valetudine, ita vtamur, vt ex iis potius incommoda & dedecora, quam commoda & decora nobis comparemus?

Nocent particulares fines, niſi in vniuerſalem referantur.

Et ideo omnibus artibus laborandum eſt ad normam ciuilis artificis, cuius extremo fine reliquarum fines continentur.

Ita fabri minores ſudant ad præſcriptum & imperium Architecti, cui fabri manus pro inſtrumento eſt.

Verum incuria, deſidia hæc, non aliunde exiſtit, quam, quod omnes ingenii fiducia hanc artem nobis aſſumimus, & tanquam inſitam, & nobiſcum natam, vendicamus.

Nec quiſquam eſt tam iners, aut tam ignarus rerum agendarum, qui eam profiteri non audeat, & qui non ſe prudentiſſimum credat, & doctum ſatis, cum ſibi ipſi proſpicere, tum alterum ad

monere, eique è re nata præbere conſilium.

Hanc hominum nimiam confidentiam Socrates deridebat in Alcibiade, indole quidem egregio, ſed nondum adepto maturitatem, atque prudentiam. Hic adeo de ſe ipſo pollicebatur, vt exiſtimaret, ſe commode poſſe adminiſtrare Rempublicam; &, qui imperito ſutori pelles pro calceis conficiendis non crediďiſſet, ſibi humanarum actionum imperitiſſimo præclaram atque arduam gubernationem populorum confidentiſſimus arrogabat.

Idem Socrates de cœlo in terram deduxiſſe dicitur hanc vitæ magiſtram Philoſophiam; quia omnium primus à contemplatione ad actionem hominum ſtudia traduxit. Sed non idcirco putetis, eam diuinitus infundi.

Hanc poſuere Dii vigiliis & ſudore parandam.

Et tamen ipſam dormire, & præſertim in noſtra Italia, exclamat maxima cum impatientia Caietanus.

Quare hanc artium reginam, quæ vſque ad hæc tempora iacuit, & ſtertuit, è ſomno excitemus: non voce ſuaui & canora oratorum, quæ potius blanditur dormientibus, ſed graui & aſpera philoſophorum, quæ nos cogat expergiſci.

ANNVS OCTAVVS.

PYthes, Auditores optimi, is qui Xerxem; cum Græciam peteret, ſplendidiſſime excepit, hoc, beneficii loco, flagitauit à Rege, vt pluribus ex liberis ſuis, militiæ vacationem vni daret, ſibique eum relinqueret ad ſolatium ſenectutis.

Offenſus Xerxes, eum quem poſtulauerat, iugulauit: reliquos ſecum abduxit; qui omnes in præliis cecidere.

Tunc Pythes, animo fracto, & demiſſo; cum tæderet eum vitæ, nec ſatis auderet mori; monimentum, quod flumine alluebatur, conſtruxit, in quod viuus irrepſit.

Sed prius vxori ſapientiſſimæ demandauit imperium, vetuitque ei accedere: tantum vt cænam ſcaphæ impoſitam quotidie mitteret; quouſque hæc vna, cum intacta cæna, præterflueret ſepulchrum.

Hæc, proh dolor, reuixit hiſtoria, & de nobis mutato nomine narratur.

Peſtis, fera bellua, depaſcebat multas Italiæ ciuitates. Et prægrauante mundi ciuium multitudine, deducebat colonias vltramundanas. Ingruebat vis morbi infimæ plebi, nec parcebat ordini procerum.

Inter obſtrepentes calamitates, ſilebant

leges forenſes, amiciciæ, naturæ. Nedum actor à iudice, æger à medico, quamuis amico, deſerebatur; ſed etiam matres ipſæ plenæ olim pietatis, extinctis liberis, nec iam amplius premebant oculos, nec vulnera lauabant.

Patauium, licet paries proximus arderet, non propterea agi rem ſuam ſuſpicabatur. Innitebatur ſpes ciuium ſalutifero Diui Antonii patrocinio; & eandem confirmabat loci infrequentia, & ambitus ampliſſimæ Vrbis, quæ hortos, paſcua, arua, intra mœnia claudit; & hinc laxa, & minime contigua habitatio, conuenientiſſima ad vitanda contagia.

Et inter cæteros omnis in noſtra profeſſor Academia, non Xerxem, ſed regem regum implorabat; vt pluribus ex ciuitatibus, ſaltem hæc vna ab hoc peſtifero bello immunis, ad Muſarum refugium feriaretur.

Sed quia ſic viſum ſuperis, vt hoc quoque ſcientiarum domicilium offenſi numinis vltrices flammas conciperet; quilibet vrbis incola incluſit ſe domi: In ea vt Pythes tanquam in ſepulchro ſe condidit, & ſe vt par erat diuinæ rationi permiſit, quæ eſt vxore Pythii ſapientior, & in mundi gubernatione non fallitur; Humi ſtratus obſecrabat indulgentiam, deplorabat ærumnam.

Nec ſapientiæ magiſtri ædium conditorio latitantes, vt multi mortales faciunt, vitam otio traduxere.

Illis non cæna ſcaphæ impoſita, ſed nectar & ambroſia quotidie cælitus mittebatur.

Magnus altuſque vir Theologus in ea præcipue dubitatione mentis aciem defigebat, Quomodo infallibilitas diuinæ prouidentiæ ſtet cum his, quæ libere agimus? Qua ratione enim, ſi Deus prouidit peccaturos nos, nec decipi prouiſio illa poteſt, non neceſſario peccemus?

Hic eſt nodus ille, quem Achilles Thomiſtarum Caietanus, in quæſtionibus enodandis, licet acerrimus, difficilem dixit, imo forte inſolubilem ab humano intellectu.

Hoc eſt naufragium illius, qui prouidentiam maluit tollere, quam delibare aliquid de noſtra libertate: & ita dum homines liberos fecit, fecit ſacrilegos.

Sed cum Deo cuncta ſint præſentia; cur non poteſt infallibiliter prouidere, & tamen nos libere agere?

Nonne etiam libere per agros errant ii, quos errare ſublimi, ex arce proſpicimus?

Non pecco, quia Deus prouidit; ſed propterea Deus prouidit, quia me ipſum eram

libere determinaturus ad peccandum.

Cognitio Dei determinate vera, non dat obiecto determinationem veritatis, ſed illam in obiecto ſupponit.

Summus humanarum Dictator ſcientiarum Metaphyſicus aſſidebat in ſua Bibliotheca ſuſpenſus, & dubius, Num tota difficultas conſequendæ veritatis penderet à rebus, vt placuit Heraclito, aſſerenti omnia in continua mutabilitate verſari; Vel omnis obſcuritas, vt ſubtilis Scotus exiſtimat, eſſet ex nobis, qui ſicut veſpertiliones non valemus lumen ſolis inſpicere; An denique partim ex nobis, partim ex rebus proficiſceretur, vt Angelicus Thomas oſtendit; exemplo parui ignis ex lignis viridibus, atque humidis, vbi combuſtionis difficultas, & in combuſtibili, & in comburente conſiſtit.

Phyſicus, qui rimatur ſecreta naturæ, Animæ noſtræ immortalitatem ſibi notam lumine fidei, propriis quoque rationibus demonſtratam, indagabat, & eruebat etiam ex ambiguis Ariſtotelis oraculis.

Ad hunc Philoſophiæ ſcopulum ingenii nauem alliſit Epicurus: Materiæ namque, vt oſtrea ſaxis, affixus, comprehendere neſciebat, Quomodo anima intellectiua ſit fo ma corporis, & tamē ab eo ſeiuncta poſſit remanere poſt mortem? Quomodo (cum

nunquam poſſit eſſe otioſa) extra corpus intelligat? Nam ſi duos modos intelligendi habet, quorum alter non indigeat corpore, neque vt ſubiecto, neque vt obiecto, anima fiet intelligentia abſtracta, & natura transſmutabitur in naturam. Sed heu, cæcus non animaduertit, etiam ignem qui ſurſum mouetur, circulariter quoque moueri, nec propterea eſſentialiter tranſmutari, ſed eſſe eundem numero ignem. Vellet impius, ſi poſſet, non formidare cæleſtia; neque iis, quæ traduntur de inferis, cruciari. Sed non propterea omni timore exoluetur.

Nam quod ita diſſipetur animus, vt nihil intelligat, nihil ſentiat, nihil ſit, hoc eſt illud terribilium extremum, quod extimeſcit natura. (& quomodo non expaueſcet, ſi hoc dirum imminuet naufragium?)

Præterea ſpes omnis aberit futuræ fælicitatis: quia ſi homo totus diſſoluitur, nec vnius vitæ obitus eſt melioris exordium; orbatur etiam ſpe ſempiternorum bonorum.

Quare delirat Epicurus, ſi credit nos reddere alacriores ad mortem. Nam ſi graue eſt trepidare formidine pœnæ; certe foliorum more marceſcere, & ſupremam fælicitatem effundere, multo magis odioſum.

Medicus diligens opificis naturæ miniſter; cuius officium eſt longæuam ſanitatem ſua diligentia præſtare, attente conſiderabat; Quiſnam vitam ſanam proferre valeat ad longiſſimum tempus: & eum eſſe cum Galeno ſtatuebat, qui nactus optimum corporis habitum vitam degit liberam ab omni negotio; ſoli corpori vacat, & ſibi ſolit viuit.

Sed ſtatim cogebatur mutare decretum. Nam qui homini ſano ad longiſſimum tempus victuro, ſolius corporis curam tribuit; hic primum nobis proſcribit longitudinem vitæ turpi inertia venalem.

Deinde, ſi Celſo fides eſt adhibenda, bona valetudo ſolet otio, & deſidia, vitiari.

Auferre etiam à vita rerum pulcherrimarum contemplationem, eſt tollere maximum corporis oblectamentum. Nam quemadmodum luna, velut anima mundi, ad ſolem propius accedens, deſerere quidem videtur regionem hanc elementarum; ſed tamen poſtea ſolis congreſſu grauida, vim quandam cæleſtem ſingulis corporibus impertit: ſic quoque animus, licet vi contemplationis abreptus, & quodammodo intelligenti ſoli coniunctus, corporis curam deſtituere videatur, tamẽ virtute diuina mirabilem in modum illuſtratus, rurſus ad cor-

poris curam relapſus vires corporeas [...]ſtaurat.

Vitalis calor nutritur humore; quo [...]ficiente fit reſolutio, quo excedente fit [...]focatio. Caloris pabulum eſt humor aëri[...] & pinguis quaſi oleum. Minerua, olei [...]talis origo, oleum, quantum flammæ n[...]triendæ ſat eſt, lucernæ infundit.

Quare huius memores beneficii, eam d[...]bemus tanta obſeruantia colere, vt etia[...] cerebrum, quo eſt genita, augeamus diſc[...]plinis; nec vacemus ſoli corpori; veluti p[...]cora, pigro obedientia ventri.

Hiſce rationibus medici animus in al[...]ram partem rapiebatur. Sed etiam Iuri[...]conſulto (cuius ore legiſlatores loquunt[...] cuius manu Principes regunt habenas im[...]perii) dubiam trahebat ſententia mentem[...] an illud celebre axioma, Natura omnes li[...]beri, verum ſit.

Nam ſi natura omnes liberi, dominium [...] cum oppugnet libertatem, erit violentum[...] &, ſi violentum, etiam iniuſtum; Quar[...]ne iniuſtum eſſe dominium fateretur, cog[...]batur ſua negare principia, & dicere cum[...] Seneca, Naturam neminem feciſſe libe[...]rum, aut ſeruum, ſed huiuſmodi nomin[...] impoſita fuiſſe ab ipſa fortuna.

Certe dominium non ſine aliqua violen[...]tia procreatum ſanctæ teſtantur hiſtoriæ.

Monarchiam omnium primam in Aſſyria conſtitutam legimus, Principe Nembrot, quem ſacræ litteræ potentiſſimum Venatorem appellant.

Nec credimus Ariſtoteli, qui aureum illud hominum genus Reges ſuffragio creaſſe prodidit: & multo minus fabulis Poëtarum, canentium, Amphionia lyra & eloquii ſuauitate homines illectos ad diſciplinam ciuilis obſequii.

Sed ſit dominatus violentia progenitus, non ideo cenſeri debet iniuſtus: cum rationi conſentaneum ſit, eos, qui ſe regere non poſſunt, ab aliis gubernari. Et quemadmodum mutuo membra ſe fouent, ita qui pollent ingenio, gubernatione hebetes ab errore & damno præſeruant, & qui iuuantur, mutuo rependunt corporis officia.

Eſt etiam conſentaneum rationi, eos, qui bellum iniuſte inferunt, victori ſeruire, etiam nolentes; & cum abutantur libertate, eadem priuari tanquam indignos.

Alioqui ſi, iure belli, ac gentium, omnia quæſita dominia iniuſta eſſe concedatur, dominium cum tyrannide, confuſa rerum ac verborum appellatione, miſcebitur. Illud etiam confitendum erit, nihil hoſtem à prædone, nihil iuſtum bellum à latrocinio differre: quæ cũ abſurda ſint, & illa, ex quibus hæc ſequuntur, abſurda videri neceſſe eſt.

Hinc colligitur, ſeruitútem non eſſe, abſolute loquendo, Naturę contrariá. Quamuis enim Natura, ſi in abſtractio ſumatur, tueatur libertatem, (vnde illud, Natura omnes liberi) ſumpta tamen in concreto, pro conuenientia ſubiecti, etiam cum ſeruitute beneuole ſociatur.

Et quemadmodum Natura primum generationem intendit, rei corruptibilis conſeruatricem, & deinde corruptionem, vt generet; ita etiam primo cupit omnes homines liberos eſſe; mox eoſdem permittit; ſi ſunt hebetes, à ſapientibus regi; & ſi erga alios deliquerint, meritas pro culpa pœnas, ſeruiendo perſoluere.

Cum igitur ſeruitus non ſit abſolute loquendo Naturæ contraria, dominium non erit abſolute violentum: vnde neque etiam iniuſtum.

Vel dicatur, Homines, etiam dum ſeruiunt, liberos eſſe, & fælices.

Obtemperare humanæ Iuſticiæ, non eſt amittere libertatem; ſicut in Angelis non poſſe peccare, non minuit, imo auget liberum arbitrium.

Alexandri Macedonis legibus innumeri homines ſeruiebant, & ſubacti elapſis beatiores euaſerunt. Hos enim ex miſera vita exemit nemo; Illos compulit victor fæliciter viuere.

Nos etiam, cum lacrymabiles querelas congruas loco, & tempori, arrepto calamo, adumbraremus, virilis animi robur mœrore deiectum, Philoſophia nutrice noſtra accedente, recepimus; & triſticiæ nebulis diſſolutis aperte cognouimus, Calamitates, quæ bonis obueniunt, non auferre fælicitatem, non euertere prouidentiam, non expugnare conſtantiam.

Hæc quæ inter ſecreta otia meditabamur, transferemus etiam in actum publicæ narrationis atque arma trademus, quæ nos à fortunæ vulneribus, inuicta firmitate, tueantur; quod fiet in futuris ſermonibus.

ANNVS NONVS.

MVndanæ ſapientiæ Magiſtros naturali tantum lumine reſpicientes hominis finem, iis plerunque aſſimilare ſolemus, qui immenſas aëris regiones corporeis oculis ſe perluſtrare poſſe confidunt.

Nequit hebes luminum acies aëreas illas peruadere immenſitates, ſed hæret curſu in medio: Et cum tenue, & peruium elementum, ob diſtantiam appareat denſatum, atque concretum, in via, tanquam in termino; atque ita in falſa obiecti imagine conquieſcit.

Bonorum ſeriem in figuram pyramidis diſpoſuit Deus. Homo dum naſcitur, viſum cono figit, & putat, bonum, quod primo occurrit, eſſe ſummum; quia maius illo non videt. Sed ſi longius progrederetur oculus, bona cerneret longe maiora; Et tandem ad aduerſam baſim accedens, ſummam & vltimam intueretur fælicitatem.

Dum ſæuiſſima peſtilentia hanc peruaſtaret vrbem, & incluſum ſerperet in venas miſellæ plebis venenum, hæc nobiſcum ipſi pie, & vere meditabamur. Quid enim nobis peregrinis in hac vita, habentibus mortem in procinctu, tam aptum, tam dulce miſeriarum ſolamen, quam meditatio æterni & beatiſſimi domicilii.

Et ideo Peripateticis valere iuſſis, qui detinentur in cono pyramidis, ad Stoicos, vt audiuiſtis, profecti ſumus, qui videntur ire longius, & propius accedere ad baſim. Sed adhuc ſpatia ampla ſuperſunt, & columnas, quas fixit Hercules, nobis eſt tranſeundum & ſtrenue dicendum,

PLVS VLTRA.

Omnes qui de beatitudine loquuntur, intelligunt, illam eſſe bonum perfectum, in quo ſolo eſt noſtri deſiderii quies.

Sed quod recipit magis & minus, non poteſt eſſe bonum perfectum; quia in eo non deuenitur ad maximum ſimpliciter,

quo non poſſit dari maius: Errauerunt igitur ii, qui in diuitiis, honore, voluptate, virtute, fælicitatem, poſuere.

Sed ſi finis ab origine pendet, repetamus quæſo primi parentis exordia, & eius incunabula curioſe contemplemur.

Deus propter ſe hominem creauit, vt haberet ſuum vltimum finem. Ornauit illum ratione, & libero arbitrio, vt per rationem ortum ſuum, & conditorem intelligeret, & per liberum arbitrium amaret; ac ſibi à Deo data naturaliter bona ſurſum erigeret, & moraliter multiplicaret.

Poſuit illum in paradiſo voluptatis, id eſt, animam puriſſimam in corpore terreo flexibili, & obedienti. Dedit ei poteſtatem totius paradiſi, id eſt, totius corporis, vt omnibus ſenſibus vteretur.

Præcepit, ne comederet de ligno poſito in medio paradiſi; id eſt, ne per liberum arbitrium abuteretur ratione, & ſua principia deordinaret; per ſuperbiam in terram vertens inferius quæ in obedientia fuerunt ſurſum plantata: At parens ille primus cecidit, ſpe ſeductus inani, & confeſtim, tanquam exul, eiectus eſt de Paradiſo; id eſt, rebellio facta eſt in corpore contra animam.

Hæc labes, & macula, à primo parente, tanquam à radice, contracta, omnes poſte-

ros ſuo extremo fine priuaſſet, niſi tuliſſet opem miſericordia Saluatoris.

Tunc homo iterum cæpit erectos ad ſydera tollere vultus, & reſpexit ſuum vltimum finem: Qui certe non eſt actio, vt docuit Ariſtoteles, ſibimet contrarius: Nam ſi omnis actio bonum appetit, vt ipſe confitetur, actio non erit fælicitas, ſed potius via ad fælicitatem, &, vt ita dicam, fælicitatio.

Et, ſicut videre non eſt obiectum oculi, ita nec operatio intellectus, & voluntatis, nec actio ſecundum virtutem, erit vltimus finis.

Quare non ſolum abſurda Philoſophorum ingenia, ſed etiam eruditiſſima, delyrarunt.

Sed demus, Philoſophos non de vltimo fine, ſed de conſecutione, poſſeſſione, vſu, & fruitione vltimi finis, fuiſſe locutos; non tamen propterea dicendum, eorum deſiderium in baſi bonorum conquieuiſſe: quia mens quieſcere non poteſt in eo, cuius habetur cognitio incerta. Quod ſi etiam certa cognitio, quam fidei lumen illuſtrat, ſub nube quadam, & ſine euidentia intelligit, in hac præſenti vita; quid dicendum de contemplatione, cui tantum affulget natura, non gratia?

Septem ſunt contemplationis gradus.

Primo gradu fit viſio in ſenſu ſecundum imaginem, & tunc vtimur mundo, vt ſpeculo. Secundo fit viſio in imaginatione; & tunc non mundo, ſed mundi imagine vtimur vt ſpeculo.

Tertio fit viſio in imaginatione ſecundum rationem; quando ratio imaginis quæritur, & cum admiratione inuenitur.

Quarto in ratione ſecundum imaginationem; quando per viſibilium ſimilitudines ad inuiſibilia rapimur. Quinto in ratione ſecundum rationem, quando ex cognitis ad incognita ratiocinando progredimur. Sexto ſuper rationem; videndo in eleuatione ea, quæ mentis rationem tranſcendunt, vt ſunt articuli fidei. Et tunc ſeptimo venit quies; quia raptus, ſiue extaſis ſequitur, in qua Rachel, id eſt, ratio, moritur, & Beniamin, id eſt, perfectio cõtemplationis, generatur.

Sed ſicut ſextus contemplationis gradus naturali lumini denegatur; ita ſeptimus & vltimus non poſſidetur à viatoribus, licet fidelibus; ſed tantum habetur in patria.

Variatur autem aſcenſus in Deum; qui eſt vltimus finis ſecundum perſonas, & medium.

Aliqui per viam aſcendentes, vident per ſpeculum in ænigmate ſeptem gradibus; in veſtigio; in imagine; in veſtigio creatura-

tum; in imagine animæ, in fide informi; in fide formata; & contemplatione.

Alii præter viam vident per ſpeculum, in lumine; vt prophetæ; Moyſes facie ad faciem; Ioannes ſuper pectus dormiens; Adam in ſtatu innocentiæ, quando intellectus eius fuit purus ſine ænigmate.

Nonnulli ſupra viam vident; cuiuſmodi eſt viſio Adæ dormientis; ſcilicet extaſis, & raptus; & viſio B. Virginis. Viſio in patria, eſt glorificatorum in corpore, & anima; eſt Angelorum; eſt B. Virginis. Super has omnes eſt viſio Chriſti; primo per gratiam comprehenſionis, qua omnes comprehendit creaturas; ſecundo gratia vnionis Deitatis, qua anima Chriſti naturam diuinam ſibi vnitam perfectius cognoſcit.

Ex parte Deitatis eſt ipſamet viſio, quæ eſt viſio totius Trinitatis, reſpectu cuius omnes aliæ prædictæ viſiones, & cognitiones, ſunt imperfectæ.

Quod ſi Chriſti fideles (ſi paucos excipiamus) non aſcendunt in hac vita in Deum, qui eſt vltimus finis, nec præter viam, nec ſupra viam; quid dicemus de iis, qui paruo & obſcuro lumine tantum naturæ ducuntur in finem?

Et tunc præcipue cæcutiunt ii, quos Natura & gratia duplici lumine illuſtrat; dum contemplantur in hac vita ſuum vltimum

finem; id eſt, mirabilem Deum, qui neque eſt muneri ſingularis, neque pluralis, ſed vnitrinus, & triunus.

Occurrit nobis impoſſibilitas; quod trium pluralitas, ſine quibus Deum concipere nequimus, ſit pluralitas ſine numero.

Dicimus vnum, vnum, vnum; dicimus ter vnum; ſed non dicimus tria. Non poſſumus dicere ter, ſine tribus; & tamen non dicimus tria. Num, cum dicimus vnum ter, replicamus idem, & non numeramus? Numerare enim eſt, vnum alterare; ſed vnum & idem triniter replicare, eſt, plurificare ſine numero. Vnde pluralitas, quæ eſt in Deo, eſt alteritas ſine alteritate; quia eſt alteritas, quæ eſt identitas. Claudit murus Paradiſi potentiam omnis intellectus.

Sed aliquo modo nobis ipſis referamus hanc ſine numero pluralitatem. Nam, etiam in figura, dulciſſima eſt prægustatio finis noſtri, quantulacunque ſit; Et cum illius ſolidam & expreſſam effigiem nullam teneamus, vtamur vmbris, & imaginibus. Ego dum me ipſum amo, ſum amans, amabilis, & nexus inter amantem, & amatum. Vnus eſt igitur amor, ſine quo non poſſet aliquod trium eſſe. Ego vnus ſum, qui ſum amans, & ille idem, qui ſum amabilis, & ille idem, qui ſum nexus, exurgens ad amore, quo me amo. Ego ſum vnum, & ſum tria.

Eſto igitur, quod amor meus ſit eſſentia mea, vti in Deo; Tunc in vnitate eſſentiæ meæ eſſet trium prædictorum vnitas; & eſſent cuncta in mea eſſentia contracte eo modo, quo in Deo video veraciter & abſolute exiſtere.

Et tamen amor amans non eſſet amor amabilis, nec nexus. Et hoc experior hac praxi. Nam per amorem amantem, quem ad aliam rem, extra me, extendo; quaſi ad amabile extrinſecum, ſequitur nexus, quo illi rei aſtringor: ſed illa res mihi non iungitur eo nexu; quia me forte non amat. Vnde licet eam amem; ita quod amor meus amans ſe extendat ſuper ipſam; tamen non trahit ſecum amor amans meus amorem amabilem meum: non enim fio amabilis ei; de me enim non curat, licet ipſam valde amem. Et ita experior, amorem amantem, non eſſe amorem amabilem, nec nexum; ſed diſtingui video amantem ab amabili, & nexu.

Quæ quidem diſtinctio non eſt in eſſentia amoris; quia non poſſum amare ſiue me, ſiue rem aliam à me, ſine amore, qui ex ſuppoſitione eſt de eſſentia trium.

Et ſic video trium prædictorum ſimpliciſſimam eſſentiam, licet inter ſe diſtinguantur.

Expreſſimus prægustationem diuinæ na-

turæ in ſimilitudine. Et conati ſumus infigurabilem guſtum diuinæ dulcedinis figurare. Infigurabilem dico; nam Philoſophia detinetur in cono pyramidis; fides intendit animum vltra; ſed tamen neque ipſa poteſt baſim contingere. Tanta tamen eſt bonitas ſummi Dei, quod ſinit etiam cæcos de lumine loqui.

Interea, dum nobis, volentibus in hac vita cernere finem noſtrum, aër denſatus apparet, cauendum eſt, ne decipiamur falſa imagine obiecti; exiſtimantes, nos eſſe in termino, dum adhuc ſumus in via; nos eſſe in baſi; dum adhuc ſumus in cono.

ANNVS DECIMVS.

TRanſimus hoc anno ad explicationem Fortitudinis.

Et quia illius duo ſunt munera; ſuſtinere pericula, & aggredi; nos etiam, vt noſtro fungamur officio, ſuſtinebimus in docendo labores, & aggrediemur in diſputando difficultates.

Duas fortitudines recentes quidam ſcriptores enumerant, bellicam vnam; domeſticam alteram. Hæc domi intra priuatos penates exiſtit, naturales, & fortuitos caſus conſtanter ferendo; vt morbum, orbitatem, inimicicias, exilium, paupertatem.

Verſatur illa in bellicis periculis, quæ repente obiiciuntur, perferendis, & peruincendis. Sed fortitudo domeſtica, magis proprie loquendo, vocatur patientia, ſiue conſtantia; ex antiquorum decreto.

Tanto in pretio fuit bellica Fortitudo priſcis illis temporibus, vt eos, in quibus maior videretur, & heroës vocaret, & veneraretur antiquitas; & illis triumphos, ſtatuas, arcus, & diuinis honoribus proxima ornamenta decerneret.

Contra vero maxime omnium contempſit illos, qui cuncta retulerunt ad voluptatem: non illam quidem, qua nec ipſa vacua eſt Fortitudo, (ſaltem ex conſideratione ſui actus, & finis) ſed illam vmbratilem, quæ habetat animi vires, rationemque ipſam de hominis cuſtodia deturbat.

In homine, cum conſtet ex animo, & corpore, duplex eſt voluptas; Vna quidem ſenſuum miniſtra; altera vero ſocia actionum; in quibus animus imperat.

Ac prioris quidem ſpecies apparet initio blanda: ſed qualis ſit in exitu, ſatis docet Sirenum cantus.

Poſterioris vero voluptatis origo à laboribus manat. Sed finis ipſe apparet iucundus. (Nihil enim eſt iucundius gloria.)

Itaque vt voluptas illa eneruata & languida quam longiſſime à Fortitudine abeſt;

ſic eam Fortitudo voluptatem aſſequitur; quæ recte & honeſte factorum eſt comes.

Nec ſunt improbandi labores; nam ſunt neceſſarii, cum naſcamur ad agendum, nec niſi agendo virtus & fælicitas comparetur. Et nihil miſerius homine in otio mentis & corporis conſtituto.

Et quemadmodum ſunt neceſſarii labores, ita etiam affectiones animi non ſunt fruſtra homini à natura tributæ. Neceſſe eſt enim moueri, atque affici; nec niſi prius afficiamur, ad actionem accedimus Otiamur namque atque torpeſcimus; ſi deſtituamur omni aura appetitionum.

Sed quia paſſiones, ſi vehementiores fuerint, impellunt; ideo in iis regendis, atque ſedandis, debet ratio primo verſari, vt animus leniter incitetur, non abruatur. At inſpiciamus qui ſint affectus illi, quibus regendis, atq; ſedandis fortitudo præponitur. Amamus bona, odimus mala; dictante Natura. In ea, quæ odimus, audacia & timore excitamur. Ad malum difficile accedimus audacia. Ab eodem recedimus timore; qui fugam quandam importat.

Et hanc audaciam moderari, hunc timorem cohibere, ſpectat ad virtutem fortitudinis. Audaciam moderatur; quia, etiam quando oportet hoſtes exterminare, ad ſe-

curitatem habendam in poſterum, debemus eos moderate aggredi: Ne parum conſiderati, incompoſiti, & immoderati videamur. Quid enim inconſideratius, quam ea velle aggredi, quæ nulla ſint ratione aggredienda? Quid magis incompoſitum, quam nec temporis, nec loci rationem habere? Aut quid immoderatius, quam à menſura ordineque recedere?

Timorem cohibet, quia belli pericula, & actus laborioſi, in quantum nimis timentur, retrahunt voluntatem à via rationis. Vnde oportet rerum difficilium impulſum firmiter tolerare.

In hoc igitur medio repoſita eſt fortitudo, ne exuperante animo aut deficiente vincamur.

Sed non omnis timor à fortitudine cohibetur. Aliquis namque nullo modo cohibendus eſt. quis enim, niſi demens, diluuiones non horreat, motuſque terrarum, atque incendia? quis, niſi improbus, & impudens, non extimeſcat infamiam, quam honeſtum eſt metuere, & non metuere turpe, & flagitioſum; Aliquis vero, vt timor paupertatis, cohibendus eſt quidem, ſed à liberalitate, quæ eſt animoſa in eroganda pecunia. Et denique aliquis, vt timor exilii, & morbi, cohiberi debet, ſed à virtute patientiæ; Nam qui contemnit exilium & morbum,

fortis proprie non eſt; (quanquam poteſt, in iis perferendis, animi inuicti magnitudo elucere.) Sicut igitur excellentis eſt medici, grauiſſimos morbos, lethaleſque plagas ſanare, ſic etiam fortis eſt viri, in iis ſe in victum præſtare, quæ maxime omnium formidabilia videntur. Siquidem fortitudinis materia, & quidam quaſi campus, ſunt difficillima quæque pericula, atque illa maxime, quæ mortem videntur allatura; qua nihil terribiliùs, ſi excipiantur ea, quæ omnem captum hominis exuperant, quibus nec vires noſtræ ſunt pares, nec vllus prudentiæ, vel tolerandis, vel peruincendis locus; vt terræ motus, & fulmina.

Nec in quocunque mortis periculo, fortitudo verſatur, ſed vbi aut ex victoria, aut ex morte, laudem & decus acquirimus: ſiquidem ignauiſſimi etiam nautæ, ferendis procellis aſſueti, non perturbantur marinis tempeſtatibus; & tamen non dicuntur fortes, quia mors illorum nihil poteſt habere præclarum, nec pro communi vtilitate ſuſcipitur. Quare fortis erit ille, qui non ex quacunque morte, ſed ex ea, quæ futura eſt pulcherrima, decus illud, cuius maxime eſt ſtudioſus, adipiſci contendit.

Sed cur bellica pericula ſunt grauiora? Grauiora ſunt, quia, cum ſint euidentiora, etiam magis ſentiuntur.

Non enim nobis morbo languentibus, aut in mari à tempeſtate deprehenſis, ſtatim mors obiicitur ante oculos, nec eius ſpecies apparet tam horribilis. At gladius dum ſtringitur, dum micat, dum vibratur, ex ipſa vibratione ſtatim terrificat animam.

Difficilius etiam tolerantur, quia vitari poſſunt; vnde econtra morborum dolores, quia vitari nequeunt, neceſſitas magis tolerabiles facit.

Quæritur etiam cur ſit difficilius tolerare, quam aggredi.

Eſt difficilius: primo, quia metus, magis, quam audacia fortitudini reluctatur: ſecundo, quia qui tolerat eſt in re præſenti; qui aggreditur, malum ipſum, vt futurum magis, animo cernit: tertio, quia tolerantia eſt diuturnior; aggreſſio eſt breuis momenti: quarto, quia aggreſſores partes ſuſcipiunt potiores; qui tolerant partes ſuſtinent imbecilliores. Et ideo fortis magis in tolerantia, quam in aggreſſione perſpicitur.

Sed cum fortis medium retineat inter timidum, & audacem, pauca quædam dicenda ſunt de timidis & audacibus.

Timidos non ſolum pericula, verum rumores vani, & incerti, & ipſa (vt dici ſolet) vmbra perſæpe deterret. Timidis excidunt cogitata, & conſilia. Timidi periculis, re-

pente oblatis, ita conſternantur, vt videantur attoniti.

Declarant tyranni quantos impulſus habeat ad crudelitatem metus.

Eſt audacis proprium, antequam periculum adeat, ſupra quam ſatis eſt, confidere. Sed quia conatur ſupra vires, audetque vltra quam ratio recta exigit, neceſſe eſt quod in ipſa congreſſione viribus atque animo deficiat. Et licet initio videatur viro forti ſimilis, poſt tamen vt parum firmis viribus ſuccumbit, & recidit in timiditatem.

Et ſane ventoſus eſt, ac tumidus, pluraque ſibi arrogat, vt qui videri fortis vult. Quo de genere ſunt milites glorioſi.

Eſt tamen audax ſimilior forti, quam timidus. Fortitudo enim, quæ in animi virilitate conſiſtit, maiorem habet conuenientiam (inquit Caietanus noſter) cum audacia, quæ animoſitatem quandam ſonat, quam cum timore, qui retroceſſum quendam importat.

Fortitudinis non veræ quinque ſunt ſpecies. Prima eſt Ciuium, quos vel honorum cupiditas, vel repulſarum metus, vel ſupplicii timor, vel loci neceſſitas fortes reddit. Secunda eſt eorum qui ob rei militaris peritiam pericula magna aggrediuntur. Tertia eſt ferarum, quas dolor & ira impetuoſas facit; eſtque fortitudo maxime naturalis.

Quod ſi ira ad electionem acceſſerit, manabunt mirabiles fortitudinis actiones. In hoc ordine fortium collocandi ſunt, qui ob amorem pugnant.

Quarta eorum, qui ex ſuæ fortunæ fiducia, & conſuetudine vincendi, adire pericula magno animo ſolent.

Quinta eorum, qui nulla æſtimatione periculi habita, ſed ignorantia, fortes videntur eſſe.

Addi poſſet ſexta ſpecies; & eſt fortitudo inuoluntaria quæ oritur ex deſperatione; quæ melius ſub ignauia, quam ſub fortitudine collocari debet; vt ſentit Ariſtoteles tertio Ethicorum capitulo vndecimo; & D. Auguſtinus primo de Ciuitate Dei.

Eſt enim, vt Statius canit, vbi det vires nimius timor: nam & timidiſſimæ quædam belluæ, vbi nullum habere ſe profugium clauſæ ſentiunt, ferociores factæ ob deſperationem, etiam acerrime pugnant.

Hi ſunt quinque modi fortitudinis non veræ: Nam vere fortem non honores decreti victoribus; non pœnæ ſtatutæ fugientibus commouere ſolent; ſed quia honeſtum per ſe, ac pulchrum ducit, fortiter facit. Vere fortis non exercitatione fretus, ac digladiandi peritia, ſed animi firmitate in certamen deſcendit. Vere fortis non doloris atque iræ ſtimulis agitatus, vlciſcendi voluptate,

ptate, vt cæcus, fertur in pericula; ſed expetit honeſtatem, ac decus; ſequitur non motus violentos, ſed rectam rationem. Vere fortis non eſt, quem erigunt præteritæ victoriæ, ac fæliciter ſæpius tentata pericula; Nam qui hac ſpe congreditur, vbi ſecus quid accidit, ſtatim incepta deſerit, & terga vertit. Vere fortis non ignoratione ducitur ad agendum, (hic enim cum rem aliam eſſe intelligit, fugit.) Sed vere fortis eſt ille, qui agit ſciens, atque eligens. Et licet repentinis periculis maxime manifeſtetur fortitudinis habitus; tamen quantum ad electionem ipſam, fortitudo non eſt circa repentina; eligit enim fortis præmeditari pericula, quæ imminere poſſunt, vt ea facilius ferat.

Enumerauimus etiam fortitudines non veras; quia noſſe prodeſt etiam gemmas ficticias, & falſa medicamenta, & omnia denique quæ falſa cum ſint, verum imitantur.

Hæc eſt, auditores, non expreſſa, ſed adumbrata fortitudinis effigies. Adumbratæ in præſens imagini, colores addemus in poſterum.

ANNVS VNDECIMVS.

IVſticia eſt habitus voluntatis, quo iuſta volumus.

Lex eſt regula rationis, qua iuſta cognoſcimus.

Et quia voluntas fertur in præcognitum; ideo agendum nobis eſt prius de Lege, quæ facit nos cognoſcere, quam de Iuſticia, quæ facit nos appetere. Sed ante omnia dicendum de Iure, ſiue Iuſto, quod eſt vtriuſque obiectum; Legis atque Iuſticiæ.

Erit igitur, prima diſputatio de Iure; ſecunda de Lege; tertia de Iuſticia.

Si eorum bonorum, quæ hominibus afferunt voluptatem, & conferunt ad beate viuendum, ea eſſet copia à rerum Natura producta, vt omnium cupiditatibus abunde ſufficerent; aut hominum tam exiguus eſſet numerus, vt non ita multis indigerent; aut tam moderatæ eſſent eorum cupiditates, vt paucis viuerent contenti: non multum oporteret de Iure diſſerere.

Nam veluti in tanta aëris & aquarum abundantia, quæ vbique eſt, & omnium neceſſitatibus ſatisfacit, ablatam quoad eas quæſtionem de meo, ac tuo, & omnino de Iure, videmus: ita in ſumma bonorum co-

pia, vt cuncti à matre Natura liberi producuntur, ita etiam libere fruerentur omnibus bonis, quæ ſunt illis natura communia.

Verum cum res aliter ſe habeat, & bona ſint quantitate quadam terminata; homines autem innumeri; cupiditas vero tanta, vt vix vni omnia ſint ſatis: neceſſe eſt ad omnium vitam tuendam, vt illa hominum naturalis libertas, & ſoluta facultas verſandi circa omnia bona, non quidem penitus adimatur, ſed coërceatur, & modum teneat: vt bonorum, quæ extant, ſinguli ſint quadam proportione participes, quo illis fruantur; ac quanto fieri commodius poſſit, abſque alieno impedimento vitam traducant.

Alioqui, ſi omnia temere omnium libidini paterent, nulla rerum conſeruandarum ratio eſſet; & ſingulos oporteret neceſſariis carere quam plurimis. Perpetuis quoque inter ſe diſſidiis ferino ritu confligarentur.

Hinc omnium fere gentium communi conſenſu, bonorum diuiſio orta eſt; ac iam ſua cuique portio eſt attributa, vt in regionis occupatione, & deductione, coloniæ fieri ſolet.

Nec commodior excogitari potuit diuiſionis ratio, inuentione Iuris. Siquidem

Ius, non eſt aliud, quam paritas commodorum, gentium lege ſtatuta; vt ſcilicet pro ſuis meritis quiſque accipiat, & bonis, ſuo, vel ſuorum labore partis, potiatur.

Hoc Iure inuento cohibentur rerum omnium libidines immoderatæ; & quanquam aliena obiecta illiciunt, ea tamẽn repellimus, ne iniuſte agamus. Nam ſicuti homines, licet fame ſitique confecti, horrent tamen epulas, & pocula, quæ veneno infecta ſuſpicantur, ne valetudinem, vitamque ipſam in diſcrimen adducant: ita etiam ab alienis obiectis, licet magnam afferant voluptatem, & lucrum, nos abſtinemus, ne Ius deſeratur. Exiſtimandum enim eſt, iniuriæ eſſe lethale quoddam virus admiſtum. Nam dum alios lædimus, eos prius contra nos irritamus; deinde cæteros, ipſamque Rempublicam; quoniam communis res agitur.

Quin ipſum Deum ad iram prouocamus, Iuris & communis commodi vindicem. Deſerimus ſimul probitatem, atque humanitatem. Præterea honorem, dignitatem, animique tranquillitatem, amittimus, & conſcientiæ morſu cruciamur.

A tot, tantiſque malis homines liberat Iuris amor. Nec vlla compendioſior via reperitur ad commune commodum aſſequendum, & ad vitam cum ſecuritate tranſi-

gendam, quam iuſte agere & ab omni iniuria abſtinere.

Sed quis neget, Ius valde amabile eſſe? Cum ſit in ſingulis rectitudo; in ſocietate vinculum; in bonis quæ poſſidemus paritas, in nobis poſſidentibus aptitudo ad fruendum, & ex conſequenti via ad fælicitatem.

INTER innumeras voces, quibus vtimur ad explicandos animi noſtri conceptus, nulla frequentius vti ſolemus, quam nomine IVRIS. Pauci tamen reperiuntur, qui interrogati quid ſit Ius, illius naturam, atque ſubſtantiam poſſint aperire. Neque dicatis: Quilibet ſcit, an ſit iuſtus, vel iniuſtus, ergo etiam ſcit quid ſit ipſum Ius; Nam etiam videmus, quenlibet probe intelligere, ſi valet, aut ægrotat; & tamen quilibet non cognoſcit quid ſit ipſa valetudo.

Nec mirum; cum hoc vocabulum ſit obſcuriſſimum, non ſolum populo, ſed etiam Philoſophis.

IVRIS cognitio eſt res vtiliſſima in omni genere vitæ.

Nec confert tantum Philoſophis, Legiſlatoribus, Iuris Conſultis atque Iudicibus, ſed etiam omnibus qui in re priuata, vel publica verſantur. Sed præcipue exacta Iuris noticia primis eſt neceſſaria, cum nec

tuto, nec commode poſſint, ſine exacta Iuris definitione, certa methodo in ſcribendo procedere, & ſe ab omnibus quæſtionibus expedire; aut condere leges; aut reſpondere de Iure; aut aliquid de Iure decernere.

Et quidem, (ſi loquamur de ipſis Philoſophis) ab ipſa Iuris definitione maxima pars pendet Philoſophiæ: cuius Concluſiones propriæ, & neceſſariæ, nec colligi poſſunt, nec demonſtrari, ſi ipſum Ius, vel nullo modo, vel negligenter definiatur.

Itaque exiſtimamus, hanc vtiliſſimam eſſe doctrinam, Philoſophis, Legiſlatoribus, Iuris Conſultis, atque iudicibus; præterea cunctis hominibus; ad commercia, & ciuilia negotia examinanda, ad lites fugiendas, vel dirimendas, ad actiones hominum laudandas, vel vituperandas, & omnino diiudicandas, eaque perſuadenda, quæ agere quenquam oportet, & diſſuadenda contraria.

Vnde merito Ius poteſt appellari Norma, atque menſura omnium rerum.

Quare exactiſſima ratione eſt procedendum: nec ſunt afferendæ vel metaphoricæ vel communes definitiones.

Sed vt verum fateamur, adhuc nemo ex iis, qui ipſum Ius definire ten-

tarunt, inſpexit ſuas vltimas differentias.

Vt mirandum non ſit, Iuris interpretes ſuæ artis principia apud Philoſophos non inuenire.

Quamobrem, non quod exiſtimemus nos poſſe plus cæteris: non quod velimus carpere ſummos ingenio & doctrina viros: ſed vt occaſionem, pro viribus noſtris, aliis præbeamus, bonas artes methodo exacta explicandi, prouinciam hanc libenter, hoc anno, ſuſcipimus. Non mouemur ſpe operis perficiendi, ſed deſiderio cæteros excitandi; vt poſtquam intellexerint hæc à veteribus non abſolute, ſed leuiter fuiſſe tentata, maioribus viribus idem opus, quod illis monſtramus, animoſe aggrediantur.

ANNVS DVODECIMVS.

IN optimo animæ regno, non ſemper ratio appetitum regit imperio, quicquid ſapiens dicat Antiquitas. Modo in puppi, modo etiam in prora ſedet. In puppi quidem; Nam cum, ea quæ ſunt ad finem, nobis non determinauerit Natura; ſed reliquerit inueſtiganda rationi, ideo veritas rationis, eſt regula rectitudinis in appetitu: (rectitudo namque appetitus determinatur

per hoc, quod conſonat rationi veræ.) Et hinc illud, quod ratio affirmat, appetitus proſequitur; quod ratio negat, appetitus fugit.

Sed ratio etiam in prora ſedet. Nam cum finis ſtatutus ſit homini à Natura; naturalis rectitudo appetitus, reſpectu finis, eſt menſura veritatis in ratione. (veritas namque rationis ſecundum concordiam ad appetitum rectum definitur.)

Et ſic mutuum eſt rationis, & appetitus, imperium; mutua vtriuſque obedientia. Sed cum imperat appetitus, non eget aliqua virtute aduenticia in exercendo imperio: nec ratio tunc, cum obedit, eget aliqua externa virtute in eodem imperio exequendo.

At cum ratio præſcribit ea, quæ ſunt ad finem; licet ea poſſit ex ſe ſimpliciter præſcribere; id tamen præſtare facile non valet abſque virtute prudentiæ: nec appetitus poteſt facile exequi ea quæ à ratione præſcribuntur, niſi probe afficiatur virtutibus moralibus, quæ ita auferunt indeterminationem, quam habet, propoſito obiecto, vt rationi præſcribenti non reluctetur. De virtutibus quæ auferunt hanc indeterminationem ab appetitu, iam diximus.

Nunc de Prudentia, quæ rationem in re-

cte præſcribendo adiuuat, hoc anno, dicetur. Et ſic ſubiecta erit oculis noſtris integra actio proba moralis; quæ cum requirat rectum iudicium rationis, & rectam inclinationem appetitus, perficitur neceſſario ex prudentia, per quam ratio recte præſcribit, & ex virtutibus moralibus, per quas appetitus rationi præſcribenti libenter obtemperat.

Electionibus, & actionibus præfixus eſt finis; cuius gratia mouemur. Etenim in eligendo, & agendo alicuius rei ſpecies optanda nobis apparet. Nam cum in ſumma rerum omnium indigentia conſtituti ſimus, neceſſe eſt, vt earum cupiditate teneamur.

Hinc ingenita eſt homini rerum vtilium cura.

Hinc artes inuentæ, quas excitauit inopia. Multa etiam poſt excogitata, maioris commoditatis & copiæ gratia; atque etiam voluptatis: quæ ſocia data eſt à natura hominibus, non ſolum in agendo, verum etiam in contemplando.

Quo fit vt vtilia, & iucunda naturaliter cupiantur, & eligantur. Sed omnes fines ad vnum tandem referuntur.

Quemadmodum enim ſumma totius Reipublicæ adminiſtrandæ ad vnum, eumque ſummum refertur magiſtratum; ſumma

belli gerendi ad Imperatorem; ſic fines & ipſi omnes ad vnum (eumque ſummum) referuntur finem; propter quem omnia ſuſcipiuntur, & officia, & opera, & ad quem ſuum quiſque dirigit curſum; perinde vt in portum qui nauigat.

Atque vt inter magiſtratus alius cedit alii, minorque maiori, ſic inter fines is qui refertur ad alterum, alteri cedit. vt res ruſtica faciendi aratri cedit agriculturæ; agricultura cedit rei familiari.

Omnium autem præſtantiſſimus & maxime optabilis erit ille, qui propter ſe ipſum tantum, & quæritur, & expetitur; & cuius aſſequendi gratia cęteræ omnes actiones; & curæ ſuſcipiuntur.

Prudentia, ex fine iam præſtituto à natura, ea quæ ſunt ad finem dictat, atque concludit. Illius namque eſt officium, qua via affectatum quis finem adipiſcatur, oſtendere, & quaſi manu ducere homines ad eum locum, ad quem agendo contendunt.

Sed cum non ſolum ad agendum, ſed etiam ad contemplandum homines naſcantur; aliique munus vnum proſequantur, alii in altero tantum ſe excerceant: hinc effectum eſt vt duplex ſit genus humanæ vitæ; & eorum, qui in cætu viuunt, ciuilia obeuntes munera; & eorum qui contemptis re-

rum ciuilium adminiſtrationibus in ſola tantum cognitione conquieſcunt.

Vtriuſque autem vitæ moderatrix eſt ratio. Munus ſiquidem eſt eius, & actiones moderari, & naturæ arcanis perſcrutandis ſic intendere, vt de recto prauoque, de vero item ac falſo, ſententiam ferat. Quo fit vt, & virtutum moralium curam ſuſcipiat, & ad eandem referantur cuncta quæ ad rerum cognitionem pertinent. Et hinc modo prudentiæ, modo ſcientiæ habitu inſtructa, & agendi, & contemplandi eſt parens & origo.

Sed quia adhuc latet nos quid ſit prudentia; eam primo per verba negatiua, deinde per affirmatiua definiamus.

Dicimus ergo, eam non eſſe ſcientiam, neque artem, neque habitum principiorum, neque ſapientiam.

Et quidem ſcientia non eſt. Nam cum munus prudentiæ ſit deliberatio, & verſetur in iis, quæ dubii ſunt conſilii, & cogatur ſæpius ob ea, quæ repente accidunt, mutare agendi rationem; quonam pacto erit ſcientia; cuius eſt proprium demonſtrationibus vti, rebuſque inniti maxime certis, & neceſſariis? Nullam ſecum affert dubitationem illud ennuntiatum; Si ab æqualibus æqualia demas, reliqua ſunt æqualia.

At ſtatim ante oculos mentis verſabitur caligatio quaſi quædam; ſit, nec ne, aſſentiendum; ſi quis in Senatu Chriſtiano propoſuerit ſuſcipiendum eſſe bellum aduerſus Turcas? Atque vbi ratio ipſa ſuſcipiendum docuerit; rurſus alia orietur dubitatio; Sit ne mari gerendum, vel terra; an & maritimis, & terreſtribus ſimul copiis adminiſtrandum?

Tertio loco dubitabitur, quibus ducibus, quo etiam numero nauium, ac militum? Itaque conſultationes ipſæ in rebus verſantur dubiis. Quibus à rebus, ſcientia prorſus eſt aliena.

Præterea; neque ars hæc ipſa prudentia eſt: cum ars ſit opificiorum, & eorum quæ manu fiunt; prudentia vero ſit rerum agibilium. Itaque agendi habitus non idem qui & faciendi. Sed neque prudentia eſt habitus principiorum, cum hic verſetur in rebus neceſſariis, prudentia vero in iis quæ poſſunt aliter ſe habere.

Diſtat longo etiam interuallo prudentia ab ipſa ſapientia. Hæc enim cœleſtia, & naturalia perſpicit; humanis rebus prætermiſſis, & neglectis. At prudentia humanas res tantum perſcrutatur. Itaque, eorum qui ſapientes ſunt habiti, non pauci rem familiarem neglexere, rebus cœleſtibus, & naturalibus occupati. Nam, & Anaxa-

goras ad vitæ extremum fame laborauit, & Democritus à curis ſeſe abdicauit ciuilibus.

Quocirca Ariſtotelem ſecuti ſtatuimus, Prudentiam eſſe animi habitum, qui recta cum ratione, conſulendo, iudicando, & præcipiendo in iis verſatur agendis, quæ ſunt homini bona, vel mala. Et hæc, eſt definitio per verba affirmatiua. Conſulere, ſeu deliberare, eſt quærere. nam quærimus, cum conſulimus, & deliberamus.

Non eſt autem conſultatio de præteritis rebus, ſed futuris.

Res enim de quibus deliberamus, non præter vires noſtras, ſed pro viribus ſuſcipiuntur. Nam præter vires ſuſcipere negotia, non eſſet prudentia, ſed temeritas.

Præterea oportet conſilium eſſe bonum; cum prudentia ſit virtus.

Hinc prædones, & ſicarii recte quidem conſulere de flagitiis patrandis conſueuere; bene autem conſulere nullo modo.

Nam & ſi quod bene, idem recte; non vbique tamen quod recte, idem quoque & bene. Sed bene conſulere nequaquam poſſumus, ſi animus teneatur amicicia, auaricia, dolore, ira, miſericordia, odio, voluptate

Hinc, vt eſt apud Poëtam, Dolor, iraque mentem præcipitant. Sed qui conſilium ſibi capturus eſt, aut aliis daturus, debet plurima circumſpicere: loca, tempora, perſonas, rerum præſentium ſtatum examinare; facultates, clientelas, opes expendere; præterita diu multumque in animo vertere, eaque præſentibus conferre: de agendi modo eſſe ſollicitus; vt non ſolum quid ſequendum ſit, ſed qua illud via ſequendum, perſpectum habeat.

Ad celeritatem autem conſilii maxime confert natura, & inditum ad illa ingenium. Ad maturitatem vero, & perfectionem vſus ipſe, atque experientia: hinc probatum conſilium, ſenile idem dicimus, quod videlicet plurima ſenes experti ſunt: contra vero præceps conſilium iuuenile appellamus; quando iuuenes ipſi, & parum omnino experti ſunt, & ætas illa affectibus intemperatioribus maxime eſt ſubiecta.

Quocirca in conſultandis rebus apud Homerum primæ partes traduntur Neſtori, propter rerum vſum, & propter ætatem.

De iudicio & præcepto prudentiæ alibi dicetur.

Sed prudentia non eſt vna, ſed ex ſub-

iecta materia diuiditur in plures. Nam cum prudens circa humana bona verſari dicatur; & bona vel circa ſe ipſum vel circa alios ſint; propterea prudens non minus aliis, quam ſibi prouidere ſtudebit.

Ex his itaque prudentiam diuidimus in eam, quæ eſt ad alios, & eam, quæ eſt ad ſe ipſum. Ea vero quæ eſt ad alios, vel in ſocietate politica, vel œconomica cernitur.

In vtraque, tam politica, quam œconomica Cato Portius, & alii complures claruerunt; vt & optimi Senatores, & patres familias ſint habiti.

Et ſane Politica prudentia vel eſt in vniuerſalibus legibus condendis; & dicitur Prudentia architectonica; hæc eſt in optimo Principe; & fuit in Solone, Lycurgo, Pompilio: vel eſt in particularibus caſibus, dictis, factiſque explicandis; & nomine generis Politica dicitur, ſeu Legalis; hæc fuit in Scæuola, Paulo, Vlpiano: vel eſt in belli adminiſtratione; & dicitur militaris; hæc fuit in Q. Fabio, qui ſedendo, & cunctando omnem hoſtibus conſerendæ manus opportunitatem adimebat; in Cæſare, qui ſuſceptis negotiis adhibebat celeritatem; in Annibale, qui intentus ad ſingula, ne minimas quidem occaſiones fruſtra labi patiebatur.

Et quidem legalis, & militaris, ſi, cum

prima conferatur, ſe ad illam habebunt perinde atque praxis ad theoricam.

Illa vero, quæ erga ſemet ipſum eſt, non eſt prudentia, vt vulgus exiſtimat, præſtantiſſima; atque habitu differt à prudentia erga alios; & non tantum reſpectu perſonarum. Neque obſtat, quod ſi quis ab hoſtibus captus vitam ſuam prudenter conſeruet, & inimicorum manus effugiat, is vitæ ſuæ conſuluiſſe videbitur; & tamen vna eademque opera, & domui ſuæ patrem familias, & Reipublicæ ſuæ prudentem ciuem conſeruabit. Nam fines diuerſi, licet vnus ordinetur ad alium, tamen diuerſificant ſpeciem habitus. Diuiditur etiam prudentia non tantum ratione ſubiectæ materiæ, ſed ratione actus diuerſi; Nam prudens de rebus agendis conſultabit, quod quidem pertinet ad habitum bene conſulendi.

At vero examinabit, & iudicabit per ſagacitatem, atque ſententiam. Sagacitas iudicat ſecundum legem. Sententia eſt iudicium boni viri, qui iudicat ſecundum æquitatem. Sed prudentia perfecta, non tantum quærit, & inuenit per conſilium; non tantum quæſita, & inuenta iudicat per ſagacitatem, ſiue ſententiam; ſed præterea ſe ipſa præcipit quæſita, inuenta, & iudicata. Eſt igitur prudentia non ſolum inuen-

inuentrix, & iudicatrix, ſed eſt præceptiua.

Diuiditur etiam prudentia, ratione triplicis oculi. quem illi veteres non temere tribuere; memoriam ſcilicet, intelligentiam, & prouidentiam. Vt primo præterita, ſecundo præſentia, tertio futura proſpiceret.

Et quoniam ea quæ extenduntur, perfectius videri ſolent, hæc compendioſa prudentia planius hoc anno explicabitur.

Sed ad tantæ molis officium fæliciter exequendum, ſunt à nobis Ariſtoteles, cum Scoto, & Caietano, qui fuerunt Ethicæ ſummitas diſciplinæ ſummis precibus inuocandi.

Triplex oculus prudentiæ ad eam inſpiciendam eſt ab eadem oculatiſſima prudentia mutuandus; Vt ea, quæ nec cognoſci, nec diſcerni, nec intelligi, penitus poſſunt, ita lucide referemus; vt quodammodo ante oculos poſita, veluti in ſpeculo videantur.

ANNVS DECIMVS TERTIVS.

DEcimus tertius eſt Annus; cum in optima omnium diſciplina; vnde fælicitatis cognitio manat; libere philoſophamur.

Quid enim philoſopho indignius; quam in vnius magiſtri verba iurare; & conſecrare ſe ipſum, tanquam mancipium, certis quibuſdam, deſtinatiſque ſententiis?

Quod etiam Baſilius admonuit, libro de liberalibus diſciplinis; dicens; non oportere nos veteribus viris; quantumuis ingenio, & doctrina præſtantibus; ita permittere gubernacula mentis noſtræ; vt ſequamur quocunque ducunt; ſed debere nos falſum contemnere, & ab aliis inchoata perficere.

Et quidem; cum ſit omnibus inquirendæ veritatis innata cupiditas; illa prorſus inanis eſſet & otioſa, ſi abſque vllo iudicio quælibet maiorum dicta probaremus; & ab iis more pecudum duceremur.

Quare irridenda illorum ſententia;

qui non putant poſſe fieri; vt ii plus ſapiant, quia minores vocantur; aut illi deſipuerint, quia maiores nominantur.

Fatemur, Chryſippum, Epictetum, Plutarchum, Senecam permulta mandaſſe litteris, quæ non parum conferunt ad bonos mores comparandos.

Hi tamen potius ſententias, quam artem de moribus conferſere.

Nec Plato res Morales via & ratione tradidit; ſed quemadmodum Oratores, & Poëtæ nonnulla dicunt ad vitam vtiliſſima; ſic ille ſparſim, nullo ordine, aliqua vtiliter dicit. Nunquam tamen ex illis quiſquam conflare poterit artem aliquam, & doctrinam.

Solus labor Ariſtotelis totum huius artis pondus, & dignitatem ſuſtinere videtur.

At etiam ipſe quædam principia iecit, tanquam totius artis firmiſſima fundamenta, quæ poſſunt facile conuelli: & ſumma tantummodo rerum faſtigia delibauit.

Actio ſecundum virtutem, iuxta principia Ariſtotelis, eſt hominis finis, & fælicitas ipſius.

Sed omnis actio eſt motus, & omnis motus habet aliquem finem; ergo actio

non eſt finis, ſed potius motio ad ipſum finem: ergo actio non eſt fælicitas, ſed potius via ad fælicitatem, & vt ita dicam fælicitatio.

Omnis actio habet aliquem terminum, ergo actio, non eſt hominis finis, & fælicitas ipſius: Sed ille terminus, ad quem actio tendit, hominis finis, & felicitas eſt. Quare actio non eſt finis ipſius hominis. Sed finis eſt voluptas, aut honeſtas, ad quam actio tendit.

Et merito finis hominis collocari debet, non in actione, ſed in voluptate, aut honeſtate, quæ conſequitur actionem. Nam voluptas, & honeſtas ſunt quid præſtantius ipſa actione; cum ſint terminus, & perfectio actionis.

Et quidem ſi fælicitas eſſet in actione, ceſſante actione, fælix deſineret eſſe fælix & ipſam fælicitatem, quaſi veſtem deponeret; in ſequenti actione reſumpturus. quod dicere eſt abſurdum.

Potius igitur ponenda eſt fælicitas in honeſtate, quæ ſemper manet.

Vnde illud, ſi quid honeſtis feceris cum labore, labor præterit: honeſtas manet.

Et ita ſentiendum eſſe de fælicitate, idem Ariſtoteles confeſſus eſt, initio Moralium, dicens, omnis actio bo-

num quoddam expetere videtur.

Quare Philoſophus; dum poſtea aſſerit, actionem ſecundum virtutem eſſe hominis finem; neque verum aſſeruit; vt probauimus; neque locutus eſt congruenter ad ſuam doctrinam, initio traditam.

Et ſi ille iecit hoc fundamentum Moralis ædificii, Omnis actio bonum expetit; non debebat poſtea illud fundamentum conuellere, & ſibi contradicere; ponendo fælicitatem in actione: ſed ponere debebat felicitatem in illo bono, quod expetitur ab actione, & ad quod actio ordinatur.

Virtutes omnes, iuxta principia philoſophi, ita ſunt connexæ, vt qui vnam habet, omnes habeat; qui vna caret, omnibus deſtituatur.

Sed virtutes eſſe connexas, ab ipſa experientia, & à communi hominum opinione abhorrere videtur.

Nam non ſolum in ſingulis hominibus, verum etiam in populis, aliæ virtutes laudari; aliæ deſiderari videntur.

Plato nonnullos homines timidos, liberales tamen eſſe dixit. Laërtius quoque dixiſſe Platonem affirmat, virtutes ſe inuicem minime conſequi: poſſe enim aliquem

prudentem, iuſtumque eſſe, intemperantem tamen.

Idem Plato Spartanos fortes, ac temperantes vocat; iniuſtos tamen. Maſſilienſes iuſti, ac temperantes habiti ſunt; ſed non fortes. Romani fortes, ac iuſti, ſed non temperantes. Aliique populi, virtutibus aliis floruere.

In Spartanis deficit Iuſticia. In Maſſilienſibus Fortitudo. In Romanis Temperantia. Quod enim rationi conſentaneum eſt. Nam ſi virtutum habitus ex frequentatis actibus fiunt; & non confeſtim omnes, quaſi diuinitus infunduntur: pauper, qui in actibus temperantiæ exerceri poteſt, in iis autem, qui ab liberalitatem ſpectant, non poteſt; temperans quidem; non tamen liberalis euadit. idemque in cæteris.

Etenim tam multæ, & tam diuerſæ inter ſe ſunt Morales virtutes; vt difficillimum ſit in omnium & ſingularum actibus quenquam exerceri: præſertim; cum in pleriſque occaſio deſit, in pleriſque materia, in pleriſque natura, qua non æque ad cuncta propenſi ſumus.

Obiiciet fortaſſe aliquis; Prudentia non eſt (vt credit Scotus in 3. diſt. 36.) habitus intra limites intellectus; cuiuſmodi eſt ſcientia, & ars: ſed prærequirit etiam

appetitum, propoſitum, & intentionem recti finis.

Non enim prudens ea, quæ ſunt ad finem, tanto labore inquireret; inuenta iudicaret; iudicata ſibi præciperet; niſi ab appetitu recti finis excitaretur ad inquirendum, iudicandum, & præcipiendum.

Sed hic appetitus recti finis, quem ſupponit & prærequirit prudentia ad ſuos actus; gignitur in nobis beneficio & opera virtutum Moralium; quarum eſt efficere appetitum recti finis. Ergo Prudentia prærequirit omnes virtutes Morales: Quare virtutes ſunt connexæ.

Huic obiectioni reſpondetur, verum eſſe prudentiam non eſſe habitum intra limites ipſius intellectus, ſed prærequirere appetitum recti finis.

Non eſt tamen verum, quod talis appetitus recti finis pendeat à virtutibus Moralibus: pendet enim à ſola cognitione, & dictamine intellectus practici, qui cognoſcit & dictat rectum finem; & hanc cognitionem, & dictamen ſequitur voluntas; ſeu appetitus recti finis.

Quare, ſeu rectum finem velimus; ſeu ea, quæ ſunt ad illum finem; ſemper, ſolius intellectus practici benefi-

cio, & opera, recte volumus.

Et ſicut ſolus intellectus practicus, dictando rectum finem, excitat appetitum illius; quem prærequirit prudentia ad ſuos actus:

Ita etiam ſolus intellectus practicus, dictando circumſtantias, dirigit actiones Morales.

Nam licet virtutes Morales, in facto eſſe, etiam ipſæ excitent in nobis appetitum recti finis; Et licet prudentia in facto eſſe, etiam ipſa dictet circumſtantias, & dirigat actiones Morales:

Tamen prudentia in fieri, quando homo eſt veluti tabula abraſa, non poteſt dictare circumſtantias, quia non exiſtit;

Et tunc ſolus intellectus, abſque prudentia dictat:

Et pariter virtutes morales, in fieri, non poſſunt excitare appetitum recti finis; quia non exiſtunt;

Et tunc ſolus intellectus excitat.

Obiiciet iterum alius; Virtutes omnes cum ipſa prudentia, quæ eſt vna, tanquam cum communi termino copulantur: Ergo ſunt connexæ: Sicut omnes lineæ ductæ ad idem centrum ſunt connexæ, quia in eodem centro vniuntur.

Nam quæ ſunt connexæ vni tertio, ſunt etiam connexa inter ſe.

Huic obiectioni dicendum, prudentiam non eſſe vnam: ſed pro virtutum ſpeciebus, prudentiæ ſpecies eſſe multiplicandas: vnde non ſequitur, virtutes eſſe connexas.

Nam ſicut non ſequeretur, omnes lineas eſſe connexas, quando non haberent idem centrum, ſed diuerſum; ita non ſequitur, virtutes eſſe connexas; quia non copulantur cum vna & eadem prudentia; ſed cum diuerſis prudentiæ ſpeciebus.

Et quidem prudentiæ ſunt diuerſæ; & non tantum vna: poteſt enim qui eſſe prudens in bello, & non in eroganda pecunia; eodemque modo in cæteris.

Conſulamus hiſtorias. Cæſar, in re militari, & in actibus fortitudinis, prudens fuit, & vere fortis; donec pro patria pugnauit. At idem prudens non erat in actibus liberalitatis, & temperantiæ; quia prodigus fuit, & intemperans, prout etiam Alexander.

Concedendi ſunt igitur diuerſi prudentiæ gradus, & ſpecies diuerſæ. Nec prudentia virtutum Moralium directiua eſt vna, ſecundum ſpeciem ſpecialiſſimam.

Ratio etiam ſuadet, prudentias eſſe diuerſas.

Nam ſicut omnia factibilia, inquit Scotus, non diriguntur ab vna arte, ſed à pluribus, ita nec omnia agibilia diriguntur ab vna prudentia, ſed à pluribus; eſt enim prudentia recta agibilium ratio, ſicut ars factibilium.

Dicet quis veſtrum; Prudentia iudicat inter agibilia diuerſarum virtutum, & diſcernit; exempli gratia an magis expediat pugnare, an voluptates oblatas proſequi: ergo prudentia neceſſario eſt vna. Sicut neceſſario ſenſus communis eſt vnus; quia iudicat differentias inter ſenſibilia propria.

Nam omnes ſenſus particulares ſimul non ſufficerent ad iudicandam hanc differentiam.

Sed reſpondetur, ſolum intellectum practicum, qui vnus eſt, abſque alio habitu prudentiæ, ſufficere ad iudicandum inter agibilia diuerſarum virtutum; ſicut ſenſus communis, abſque vllo habitu, iudicat inter ſenſibilia propria.

Sed demus, prudentiam eſſe vnam ſecundum ſpeciem ſpecialiſſimam, & omnes virtutes cum ea, tanquam cum communi termino copulari; non propterea ſequitur, virtutes eſſe connexas.

Sicut nec ſequitur, omnes lineas ducibiles ad idem centrum, eſſe connexas, quia poteſt contingere, quod non omnes actu ducantur. Poteſt enim exempli gratia duci linea *A*, & non duci linea *B*.

Item in caſu noſtro non ſequitur, omnes virtutes, copulabiles cum vna & eadem prudentia, eſſe connexas; quia poteſt contingere, quod non omnes virtutes actu copulentur, quia non eſt neceſſarium, quod omnes virtutes acquirantur à nobis.

Poteſt enim, exempli gratia, ex frequentatis actibus gigni temperantia, & non gigni liberalitas, ſi exercitium, & materia deſit; vt in paupere contingit, qui exerceri poteſt in iis quæ ad temperantiam ſpectant; in iis autem, quæ ſpectant ad liberalitatem, non poteſt.

Ex quadruplici varia, & diuerſa combinatione, ſeu complicatione, rationis cum appetitu, probat Ariſtoteles, cum cæteris Philoſophis, neceſſario exiſtere in rerum Moralium vniuerſitate quattuor quaſi fontes; ex quibus actiones emanant; ſcilicet virtutem, & vitium, continentiam, & incontinentiam. Et credit, ex hac quadruplici combinatione exiſtentiam virtutis, & vitii, continentiæ, & incontinentiæ ſe ſufficienter demonſtraſſe.

Duo enim requiruntur, inquit Philoſophus 6. Ethicorum, ad perfectionem actionis Moralis.

Vnum: vt ratio practica vere iudicet de expetendo, & fugiendo.

Alterum: vt appetitus conſentiat cum illo vero iudicio; ita vt quod ratio iudicat eſſe expetendum, id appetitus expetat; & quod ratio iudicat eſſe fugiendum, id appetitus fugiat.

Quoties igitur concurrunt hæc duo, Vt ratio vere iudicet, & appetitus conſentiat cum illo vero iudicio, perfectam dicimus eſſe virtutem.

Contra vero cum ratio, quaſi occæcata erroris caligine, iudicat, turpia & inhoneſta eſſe perſequenda; & appetitus conſentit cum illo falſo iudicio; proprie dicimus vitium.

Sed euenit plerunque, vt ratio & appetitus diſſideant: &, cum ratio vere iudicet, appetitus, tanquam contumax equus, bene ducenti inſeſſori repugnet.

Tunc igitur aut in illo conflictu vincit ratio; & appetitum, licet inuitum & reluctantem, ſibi parere cogit: & hæc dicitur Continentia:

Aut, vt dicit poëta, fertur equis auriga, nec audit currus habenas: id eſt, immoderatæ illæ, & effrænatæ paſſiones ruunt,

&, neglecto rationis imperio, exultant, & ſecum auferunt hominem: & hæc dicitur Incontinentia.

Hoc autem differunt is, in quo eſt virtus, & continens: quod ille, in quo eſt virtus, ab omni turpitudine abſtinet: & hoc ipſo gaudet; quia appetius non reluctatur rationi

Continens vero, etſi turpia prætermittit; id tamen, non ſine quadam animi moleſtia facit; quia appetitus reluctatur rationi.

Hoc differunt vitioſus, & incontinens; quod vitioſi etiam ratio eſt occæcata, & corrupta; Incontinentis vero minime; & hinc eſt quod incontinens videt meliora.

Itaque qui virtute præditus eſt, ſimilis eſt naui, quæ & bonum gubernatorem habet, & ſecundo vtitur vento.

Vitioſus eſt ſimilis naui; quæ habet gubernatorem imperitum, & contrario vtitur vento. Vnde ſi ventus nauem agit in ſcopulos, eodem illam impellit gubernator; putans, ibi eſſe portum.

Continens eſt ſimilis naui, quæ reſlantibus, & reluctantibus ventis, gubernatoris tamen virtute, fertur in portum.

Incontinens eſt ſimilis naui, quæ bonum quidem gubernatorem habet, ſed vi ventorum & tempeſtatum abripitur.

In homine virtute prædito; ratio & appetitus ſunt potentiæ vniſonæ; & conſpirant ad bonum.

In homine vitioſo; ratio, & appetitus ſunt potentiæ pariter vniſonæ; ſed conſpirant ad malum.

In homine continente, & incontinente, ratio & appetitus ſunt potentiæ, non vniſonæ, ſed diſſonæ, & diſcordantes.

In primo vincit tandem ratio; in altero vincit tandem appetitus.

Et hæ quattuor qualitates morales animi noſtri, ſeu hi quattuor fontes actionum moralium, emanant, & reſultant, inquit Ariſtoteles, ex quattuor variis combinationibus rationis, & appetitus.

Nam ſi ratio eſt recta, & appetitus rectus, eſt virtus.

Si ratio eſt corrupta, & appetitus corruptus, eſt vitium.

Si ratio eſt recta, & appetitus corruptus, ſed vincit ratio, eſt continentia.

Si ratio eſt recta, & appetitus corruptus, ſed vincit appetitus, eſt incontinentia.

Atque ita: ex combinatione recti cum recto, reſultat virtus.

Ex combinatione corrupti cum corrupto, reſultat vitium.

Ex combinatione recti cum corrupto, ſed cũ victoria de corrupto, reſultat cõtinẽtia.

ex combinatione recti cum corrupto, ſed cū victoria de recto, reſultat incontinẽtia.

Hoc modo ex varia combinatione rationis cum appetitu, Ariſtoteles, cum vniuerſa Philoſophorum ſchola, exiſtimat, ſufficienter ſe demonſtraſſe, exiſtere neceſſario virtutem, & vitium, continentiam, & incontinentiam.

Sed cum libere, & audaciter liceat philoſophari, & in nullius magiſtri verba iurare, vt monuit Baſilius, dicimus, Ariſtotelem cum cæteris in hoc errare, & decipi.

Non enim ex qualibet combinatione principiorum, excogitabili per intellectum, reſultat, vt ita dicam, principiatum: ſed tantum ex combinatione poſſibili à parte rei.

Et primo, combinatio illa rationis rectæ, & appetitus recti, ex qua virtus reſultat, vt exiſtimat Ariſtoteles, non eſt poſſibilis à parte rei, ſi recte perpendimus. Nam hæc ſumma concordia appetitus cum ratione recta, non reperitur.

Probatur. nam ſi reperiretur, profecto in ſanctis viris reperiretur.

Sed D. Paulus queritur, ſe carnis ſtimulo vexari.

D. Hieronymus dolet, id corpore, ſuis appetitibus præmortuo, vigere libidinum incendia.

D. Nazianzenus carnem incuſat, quod in ſua canicie finem petulantiæ non imponat: cumque nullum idoneum remedium ſe expertum dicat; mortem deſiderat.

D. Bernardus maius miraculum iudicat non excitari obiectis afferentibus voluptatem; quam mortuos ſuſcitare.

D. Benedictus in vepribus ſe volutat, vt lacerato corpore, voluptatis ſenſum dolore opprimat.

Hinc multi, vt ab obiectorum periculis ſe abiungant, latebras petunt; & ſibi ædificant ſolitudines, & Carthuſias: corpus ieiunio macerant; manuum opus inceſſabiliter exercent; vt cupiditas eos inueniat ſemper occupatos.

Et niſi aſſidue luctentur, caſtitatem ſuam tutam non ducunt.

Innumera etiam afferri poſſunt exempla eorum; qui caſtitatem diu profeſſi, peccandi opportunitatem adepti, repente conciderunt.

Quare hæc ſumma concordia appetitus cum ratione recta, ex qua virtus reſultat, (iuxta principia Ariſtotelis, & aliorum philoſophorum) ſi in ſanctis viris non reperitur, certe nullibi reperitur; & erit quidem excogitabilis ab intellectu, ſed non poſſibilis à parte rei.

Erit

Erit in libris; non in hominibus.

Quapropter non eſt ens reale; ſed ens rationis morale.

Ex his colligite; Auditores; dari quidem poſſe continentem, qui à voluptate ſe abſtinet; ſed cum dolore, & repugnantia appetitus; at dari non poſſe temperantem, de quo Ariſtoteles ait, quod non allicitur à voluptate, & ab ea ſe abſtinet ſine vllo dolore, & ſine vlla repugnantia appetitus.

Et ad id ſentiendum, contra communem opinionem philoſophorum, adducimur; non ſolum auctoritate; & experientia; ſed etiam ratione.

Nam exiſtimandum non eſt, dum rationalis facultatis exercitationi tantum incumbimus, partem irrationalem, quæ eſt appetitus, prorſus extingui.

Hebetior quidem, & ſegnior redditur; quia à ſuis obiectis, dum abſunt, minus acriter & vehementer attrahitur; quam conſueuerat. Sicut etiam ignis, ſi cinere contegitur, minus calefacit: & ſicut oculus, ſi tenebris aſſueſit, lucem ferre vix poteſt.

Sed licet appetitus hebetior reddatur ad voluptatem, ſi non exerceatur in ea; non poteſt tamen ita deſueſcere, vt omnino non appetat. Immo neque inſtrumentis adem-

ptis amittit vires ſuas. Vnde, vt Comicus ille dicebat.

Eunuchi ſunt maximi amatores.

Ita ignis licet ſegnior reddatur ad calefaciendum, ſi cinere contegatur, non propterea vis eius extinguitur.

Ita oculus, licet vix poſſit ferre lucem, ſi tenebris aſſuefiat; non propterea poteſt ita deſueſcere, vt omnino non videat.

Et hinc eſt, quod ſi facultati irrationali obiecta abſentia iterum offerantur, & præſentia fiant, apparet euidenter, eius vim, ſua ceſſatione, non eſſe penitus extinctam: nam iterum incipit appetere iucundum.

Naturalia ſuſpendi quidem poſſunt, ſed auferri non poſſunt; & omnis potentia dicit relationem eſſentialem, & intrinſecam ad ſuum obiectum.

Sed appetitus ſenſitiuus ex natura ſua fertur in obiectum iucundum; nam ſequitur naturaliter cognitionem ſenſus, qui cognoſcit iucundum, non honeſtum; hoc enim cognoſcitur ab intellectu.

Quod ſi appetitus ſenſitiuus fertur etiam in bonum honeſtum; fertur non motu naturali; ſed motu raptus. Et eo modo quo ſphæra ſuperior mouet ſphæras inferiores ſibi ſubiectas, ita etiam ratio mo-

uet & ſecum rapit appetitum ſenſitiuum; & appetitus ſenſitiuus cogitur audire rationis imperium.

Et quidem appetitus ſenſitiuus non poſſet ex ſua natura attingere obiectum ſuperioris ordinis, & extra ſphæram actiuitatis ſuæ; cuiuſmodi eſt honeſtum; quod eſt bonum rationis, non ſenſus; niſi à ratione moueretur, & raperetur.

Sicut ergo orbes cœleſtes duplici motu mouentur, motu naturali, & motu raptus; ita etiam hoc publici motu mouetur appetitus. Sed appetitus ad motum naturalem, quo mouetur in obiectum iucundum, eſt procliuior.

Ex dictis patet, quod combinatio rationis rectæ, & appetitus recti, qui omnino obediat rationi, ſine vlla repugnantia, non eſt poſſibilis à parte rei.

Ergo neque virtus eſt admittenda, quæ reſultat ex combinatione rationis rectæ, & appetitus recti.

Sed neque eſt poſſibilis à parte rei combinatio rationis corruptæ, & appetitus corrupti; ex qua vult Ariſtoteles vitium reſultare, quia dari non poteſt ratio omnino cœca, & omnino corrupta.

Probatur primo experientia, quæ in Moralibus plurimum valet. Ratio enim, neque in perditis & ſceleſtis hominibus, eſt

ita occæcata erroris caligine, vt iudicet, turpia & inhoneſta eſſe proſequenda: quicquid de vitioſo dicat Ariſtoteles, cum vniuerſa philoſophorum ſchola.

Nemo enim reperitur ita occœcatus, qui ſi interrogetur, dum labitur in voluptates, An recte agat, non fateatur, ſe deſerere quod melius eſt. Non autem aſſerit, voluptatem eſſe ſummum bonum, & præponendum honeſtati; vt diceret vitioſus, iuxta principia Ariſtotelis, ſi reperiretur.

Sceleſtus dum peccat, ait, ſe impotentem eſſe, nec poſſe vehementibus paſſionibus obſiſtere. Idem filios, & amicos rogat, ne id ipſum agant. Clam etiam peccat, quia errorem ſuum cognoſcit. Nam ſi id, quod agit, eſſe maius bonum iudicaret, (vt iudicaret, ſi ratio eſſet omnino cœca) certe clam non peccaret.

His addere poſſumus; quod, dum ſequitur voluptates, verecundatur; & internam percipit pugnam, internam reprehenſionem, internum rationis ſermonem, dicentis, Quo tendis, miſer? quo, perdite, ruis? & ſemper erratorum ſuorum conſcientia torquetur.

Et hæc interna compunctio non permittit, vt homines mali toto animo fruantur voluptate.

Probatur etiam ratione; quemadmodum enim (vt diximus) appetitus ſenſitiuus aſſuefieri non poteſt, ne appetat ſuum obiectum proprium, in quod naturaliter fertur, quod eſt iucundum; ita intellectus practicus aſſuefieri non poteſt, ne videat & intelligat ſuum obiectum proprium, in quod naturaliter fertur, quod eſt honeſtum.

Neque hoc lumen aliquibus tantum ex diuina gratia deforis aduenit, & ab extrinſeco; ſcilicet ab inſpiratione diuina: ſed refulget in omnibus hominibus, quantumvis malis; & nunquam extinguitur, quia principium non corrumpitur in nobis; cum ſua natura incorruptibile ſit. Et quod refulgeat in omnibus.

Probatur. In omnibus enim hominibus, nemine excepto, ineſt habitus quidam principiorum Moralium congenitus, qui à Theologis ſynderesis dicitur; & hic ſemper dictat, honeſta eſſe proſequenda, & turpia fugienda.

Et hoc dictamen rationis, cum ſit intrinſecum, & homini congenitum, nemini denegari debet; & merito internus rationis ſermo appellari poteſt.

De hoc dictamine, & interno rationis ſermone loquebatur M. Tullius, ad Curionem ſcribens, Tecum loquere. Te ipſum audi. Nunquam labêre, ſi te audies.

De hoc eodem intelleximus nos, cum ſcribentes ad Franciſcum Mariam II, Vrbini Ducem VI, Merçuriũ noſtri ſæculi, diximus, Principes parũ egere cõſiliariis, qui plerunque ſunt amore, & odio, & auaricia corrupti, ſi audiant internũ ſuę mentis oraculum.

Neque vt viſum, & auditum, ita rationem amittere poſſumus.

Et ſicut nobis data facultas non eſt, quæ delectetur amaris; ita nec facultas datur, quæ iudicet, turpia eſſe proſequenda, & honeſta fugienda.

Sed vt amara comedimus, guſtu repugnante, ita turpia proſequimur, & honeſta fugimus, repugnante & reclamãte ratione.

Poſſunt quidem aliæ potentiæ animæ noſtræ, vi obiectorum compulſæ, rationis imperium excutere. Non tamen dictamen & iudicium rationis corrumpitur, ſed incorruptum manet.

Hinc eſt, quod Incontinens quidem Ariſtotelis ſit admittendus, vitioſus vero minime: Illum enim, ſcilicet Incontinentem, videre meliora ait, ſed ſequi deteriora: Hunc autem, ſcilicet Vitioſum, habere etiam rationem corruptam affirmat, & iudicare, turpia & inhoneſta eſſe proſequenda.

Ex dictis patet, quod combinatio rationis corruptæ & appetitus corrupti non eſt poſſibilis à parte rei.

Dicetis; Ergo Virtus & Vitium erunt voces otioſæ, quæ nihil ſignificant: Aut ſignificant id quod non exiſtit, cuiuſmodi eſt mons aureus, Sirena, Satyrus, Hippocentaurus, quam Cicero 1. Tuſc. quæſt. & 1. De natura Deorum negat vnquam fuiſſe.

Et ſic Virtus & vitium erunt tantum in libris, non in hominibus.

Reſpondetur; quod ſignificant quidem aliquid à parte rei; ſed non ſignificant illas combinationes rationis & appetitus, incompatibiles, & impoſſibiles, quas excogitauit Ariſtoteles.

Virtus non eſt combinatio rationis rectæ & appetitus recti; quia non reperitur appetitus omnino ſubiectus rationi; ſed ſemper reluctatur, & repugnat.

Sed virtus eſt gradus intenſus Continétiæ.

Nam appetitus vel magis, vel minus ſubiicitur rationi.

Si ſubiicitur magis, dicitur Virtus. Si ſubiicitur minus, dicitur Continentia ſimpliciter, & appellatur nomine generis.

Neque eſt nouum apud philoſophos, & Iureconſultos, quod aliquando ſpecies nomine generis appelletur.

Vitium pariter non eſt combinatio rationis corruptæ & appetitus corrupti; quia non reperitur ratio omnino cæca; ita vt iudicet, turpia & inhoneſta eſſe proſequenda.

Sed Vitium eſt gradus intenſus Incontinentiæ.

Nam lumen rationis, in aliis magis, in aliis minus eſt obſcuratum. Si eſt obſcuratum magis, dicitur Vitium. Si eſt obſcuratum minus, dicitur Incontinentia ſimpliciter; & appellatur nomine generis.

Et hæc repugnantia appetitus, modo magis, modo minus ſubiecta rationi; & pariter hoc lumen rationis, modo magis, modo minus obſcuratum, ex diuerſo temperamento, & diuerſa educatione contingit.

Et quia verum vero conſonat, & liber librum aperit, demonſtremus ex Phyſicis, (quod ſæpe in rebus Moralibus facere ſolemus) eos non tuto, nec vere philoſophari, qui volunt ex numero combinationum, excogitabili per intellectum, colligere numerum rerum.

Quattuor ſunt primæ qualitates. Calidũ, & Frigidum; Humidum, & Siccum. Et hæ quattuor qualitates poſſunt ſex modis combinari, & ſimul cõplicari; videlicet, Siccum & Calidum, Calidum & Humidum, Humidum & Frigidum, Frigidum & Siccum, Calidum & Frigidum, Humidum & Siccum.

Et tamen licet ſex ſint combinationes primarum qualitatum, tamen quattuor tantum, & non ſex reſultant elementa, quia combinatio calidi & frigidi, & pariter com-

binatio humidi & ſicci, ſunt quidem combinationes excogitabiles per intellectum, ſed non poſſibiles à parte rei.

Ita in caſu noſtro; ratio & appetitus quattuor modis combinari poſſunt, vt audiuiſtis. Sed quia illa combinatio rationis rectæ & appetitus recti; item illa rationis corruptæ & appetitus corrupti, ſunt quidem excogitabiles per intellectum, ſed non poſſibiles à parte rei; ideo non exiſtit neque Virtus, neque Vitium; & non ſunt quattuor principia proxima actionum Moralium, ſed tantum duo, ſcilicet Continentia, & Incontinentia.

Quare in Moralibus non exiſtit alius habitus laudabilis, quam Continentia; neque alius habitus vituperabilis, quam Incontinentia. Et vtraque eſt modo in gradu intenſo, modo in gradu remiſſo.

Et ſicut literæ A B C, quæ ſunt prima elemēta Grammaticæ, poſſunt pluribus modis combinari, & cōponi; ſed non omnes voces, quæ poſſunt formari ex illis combinationibus, aliquid ſignificant: (nam aliquæ voces aliquid ſignificāt, vt, exempli gratia, equus; & aliquę nihil ſignificāt, vt blictri:) ita ratio & appetitus quattuor modis cōbinari poſſunt; ſed non ex omnibus quattuor combinationibus reſultat principium reale actionum Moralium, ſed tantum ex duabus.

Ariſtoteles iuſtum diſtributiuum affirm[at] æquale eſſe æqualitate Geometrica, in q[ua] habetur ratio conditionis perſonaru[m]. Commutatiuum vero eſſe æquale æquali[ta]te Arithmetica, & numerali, quæ eſt æqualitas rei ad rem, & in qua nulla habetur ratio perſonarum.

Nos exiſtimamus, Ius diſtributiuū à commutatiuo non differre; ſed in vtroque eadem æqualitate Arithmetica procedi; ſed quia latet principium, diuerſam æqualitatem videri. Quod facile cognitu fiet, ſi diligenter conſideretur, quo pacto homines agant. Nam vt commutatio fit ſecundum numerum, quoniam quilibet quantum tradit, tantum viciſſim accipit; ita diſtributio fit ſecundum numerum; quia fit pro quantitate laboris, & vtilitatis, quam quiſque attulit pro ſalute & commodo Reipublicæ.

Sicut igitur in commutatione æſtimantur bona tradita, & accepta; & qui plus tradidit, plus accipit; qui minus tradidit, minus accipit; & ſemper traditum & acceptum ſunt æqualia; Ita in diſtributione æſtimantur labores, & præmia. Et, ſi ciuis plus altero laborauit pro Reipublicæ ſalute, plus etiam illi debetur; ſi minus laborauit, minus illi debetur; ſi æqualiter laborauit, æqualis fit diſtributio. Ergo eadem æqualitas Arithmetica ſeruatur tam in diſtributione quam in com-

mutatione. Nam ſicut in commutatione æſtimantur bona tradita, & accepta; ita in diſtributione æſtimantur labores & præmia agentium pro Reipublicæ vtilitate.

Sed quis obiiciet, quod in Republica optimates ac nobiles plus capiunt quam cæteri populares & ignobiles, licet non videantur plus laboraſſe: Ergo in diſtributione ſeruatur æqualitas Geometrica, & habetur ratio perſonarum; & non ſeruatur æqualitas rei ad rem, & numeralis.

Reſpondetur, eſſe ſemper verum, quod bona Reipubicæ pro inſumptis laboribus diuiduntur, & quod ciues, non pro Geometrica, ſed Arithmetica æqualitate, quæ eſt æqualitas rei ad rem, recipiunt præmia æqualia meritis & laboribus.

Quod ſi nobilibus plura dantur, quam popularibus; id eſt, quia vel ipſi plus egerunt, vel quia parentum laboribus (quorum ipſi heredes exiſtunt) plura debentur ab ipſa Republica; cuius ipſi tanquam hæredes, ſunt creditores:

Itaque ſi pretium ſtatuatur, patebit, ex eodem principio pendere omnia.

Sicut igitur in commutatiua Iuſticia, plus debetur ei, qui plus dedit; ita in diſtributiua plus debet Reſpublica ei, qui plus fecit. Patet autem, nobiles, vel ſaltem eorum progenitores, plus pro Reipublicæ ſalute contuliſſe,

Et quemadmodum Ariſtoteles, ad illam celebrem obiectionem; Si priuatus percutit Principem, non ſatis eſt ſi repercutiatur, (ex quo poſſet inferri, etiam in Iuſticia commutatiua, ſub qua correctiua continetur, haberi rationem perſonæ) reſpondet, iuſticiam commutatiuam non attendere ad conditionem perſonæ, niſi per accidens, in quantum ſcilicet augetur per hoc quantitas nocumenti: nam maius eſt nocumentum, ſi Princeps percutiatur, quam ſi priuatus; vnde priuatus debet non ſolum repercuti, ſed capite plecti; vt adæquetur nocumentum nocumento, & fiat retributio in quanto, & non in quali; nam retributio in quali eſſet repaſſio; ſed iuſtum non eſt repaſſio, vt Pythagorici falſo exiſtimarunt:

Ita poterat, & debebat dicere; quod ſi Princeps plura diſtribuit nobilibus, quam popularibus, id non eſſe, quia in diſtribuendo habeatur ratio perſonæ, licet prima facie videatur; ſed conſiderari conditionem perſonæ, tantum per accidens: in quantum ſcilicet maior conditio perſonæ oſtendit & arguit maiorem quantitatem meriti. Nam maius eſt maritum in nobilibus, quam in popularibus; qui nobiles, vel ſaltem eorum progenitores, pro vtilitate & ſalute Reipublicæ plus laborarunt.

Sed decipimur: quia in commutatiua iuſti-

cia, quicunque commutant, fere ſemper ſunt pares; & cum tradant æqualia, accipiunt æqualia: & in diſtributiua ii, quibus diſtribuitur, fere ſemper ſunt impares.

Sed hoc non impedit, quominus tam in diſtributione, quam in commutatione eadem ſemper æqualitas arithmetica & numeralis ſeruetur.

Nam quandoque etiam ii, qui commutant, ſunt impares, tradunt inæqualia, & accipiunt inæqualia.

Et tunc ſi vnus nobis tradit decem, alter octo, nos cuilibet ſua æqua ratione reddimus; vt fit in diſtributione Cuius enim labor pro ſalute Reipublicæ maior eſt; eiuſdē & præmium maius erit. Cuius minor eſt labor, minus eſt præmium. Cuius æqualis eſt labor, præmium etiam eſt æquale. Quo fit vt eandem, tam in diſtributione, quam in commutatione æqualitatem ſequamur.

Et ſicut in commutatione merx merci, ita in diſtributione præmiū labori comparatur.

Immo ſi ſubtiliter volumus rem intueri; diſtributio non eſt aliud quam cōmutatio. Tacite enim Princeps videtur contrahere cum ciuibus: quando ciues laborant pro ſalute Reipublicæ, & ipſe diſtribuit præmia pro quātitate laboris, & nobilibus plus confert, quia etiam ipſi, aut eorū progenitores, quorum ipſi ſunt hæredes, plus quam popu-

lares, pro ſalute Reipublicæ contulerunt.

Vnde hæc diſtributio non eſt aliud quam commutatio, quæ fit inter Principem & Ciues.

Loquimur hic de diſtributione communium bonorum inter Ciues.

Nam omnes concedunt, quod quandó Princeps tanquam priuatus collatis beneficiis compenſat obſequia, & ſeruitia, quæ Ciues in eum impendunt, hoc eſſe munus Iuſticiæ commutatiuæ; & hanc compenſationem fieri debere ſecundum æqualitatem Arithmeticam. Habet enim hæc compenſatio quandam rationem mercedis.

Sed dicimus nos, (& hoc ab aliis non conceditur) quod etiã diſtributio communium bonorum, eſt compenſatio, & commutatio; & non nuda attributio eorum, quæ totius corporis ſunt ad partes; vt exiſtimat Ariſtoteles, & cum eo Philoſophi quamplurimi; quia ſi ſubtiliter intueamur principiũ, quod latet, videbimus, etiam hanc communẽ bonorum diſtributionem, quæ eſt ordo totius ad partes, habere rationem mercedis, & nobilibus plura diſtribui, quam popularibus; quia Nobiles, vel eorum progenitores, plus Reipublicę contulerunt. Et maius meritum nobilium non conſiſtit in conditione perſonæ, ſed in maiori ſeruitio impenſo.

At non ſolum Ariſtoteles hæc principia

iecit, tanquam totius artis firmiſſima fundamenta, quæ, vt vidiſtis, facile poſſunt conuelli, ſed etiam ſumma tantummodo rerum faſtigia delibauit.

Nam nihil quoad virtutem docet, niſi, agendum eſſe, vbi, quando, quantum oportet, vel vt dictauerit prudens.

Vbi vero, quando, & quantum oporteat, vel quomodo dictare prudens debeat, non præſcribit.

Et quidem admiratione dignum videtur, quod cum Ariſtoteles prudentiam dixerit eſſe habitum rectum cum ratione agendi, exiſtimauerit, ſe iis ſolis verbis prudentiæ tradidiſſe doctrinam, atque homines reddidiſſe prudentes.

Quemadmodum igitur, ſi medicus diceret, curandum eſſe ęgrotantem cum recta ratione, & nihil aliud afferret, non propterea ægrotus poſſet recuperare valetudinem: Et quemadmodum, ſi Iureconſultus diceret, reſarciendum eſſe damnum, vt leges iubent, & nihil aliud adderet; non propterea læſus poſſet recuperare ius ſuum: Ita ex ſola doctrina Ariſtotelis nemo poteſt fieri prudens artifex ciuilis, neque fælicitatem adipiſci.

Nihil præterea Ariſtoteles præcipit, niſi, ad medium reſpiciendum, & bene aſſueſcendum. Sed hęc licet vera ſint; nulla tamen, addiſcere cupienti, vtilitatem poſſunt afferre,

cum ſint vulgaria, communia, cunctiſque obuia.

Ea autem particularia, quæ ad ipſam artem explicandam ſunt neceſſaria, Ariſtoteles prætermiſit. Sed qui particularia negligit, prudentiam videtur excludere, quæ intellectus practici perfectio eſt, & circa particularia verſatur.

Vnde Epictetum, Panætium, M. Tullium, Senecam, laudandos putamus; qui hanc quoque partem non neglexerunt.

Etiam in VIII. libro Ethicorum, quem ſumus hoc anno explicaturi, debuiſſet Philoſophus ante tractationem de amicicia, quædam præfari de ſocietatibus; cum Amicicia ſit quædam ſocietas; vt idem Ariſtoteles affirmat 8. Ethicorum cap. 9. Nam antequam de re aliqua conceptus ſpecificus habeatur, debet conceptus genericus innoteſcere.

De ſocietatibus igitur nobis prius dicendum eſſe exiſtimamus.

Atque ita non permittemus alteri gubernacula mentis noſtræ; ſed falſis principiis iam contemptis, ab aliis inchoata proprio labore conficiemus; quod debere nos præſtare, monuit Baſilius, libro De liberalibus diſciplinis.

Inſtitutionum Moralium

FINIS.

FLAVII
QVAERENGI,
POIAGHI COMITIS,
& Canonici Patauini,

De genere dicendi Philoſophorum; ſeu, De Sapientiæ & Eloquentiæ diuortio.

LIBER.

Ad Sereniſſimum

FRANCISCVM MARIAM II,
Vrbini Ducem VI.

L

Digitized by Google

Ad Sereniſſimum

FRANCISCVM MARIAM II,
Vrbini Ducem VI,

FLAVIVS QVERENGVS,

POIAGHI COMES,
& Canonicus Patauinus.

D E

Genere dicendi Philoſophorum; ſeu, De Sapientiæ & Eloquentiæ diuortio.

PRIMA PARS.

ACERRIMA nobis, ſapientiſſime Princeps, cum aliquibus eſt contentio de genere dicendi Philoſophorum. Sentiunt illi res philoſophicas ſine eloquentia ſcribi non debere, ſuntque in dicendo exercitati. Nos autem, qui contradicimus, cauſam repellimus ſatis difficilem, & ſumus orationis viribus deſtituti: Sed publica nos impellit vtilitas ad hanc prouinciam capeſſendam; Complures enim videmus præſtantiſſimos Philoſophos in aliorum commoda peccare, cum ea quæ à Magiſtris acceperunt eleganter dicere ſe poſſe diffidant,

ineleganter vero non audeant. Magis etiam nobis putauimus eſſe elaborandum, quia noſtra res agitur. nam cum Problematum librum ampliſſimo nomini tuo dicatum ad te mittere decreuerimus, profecto ſi vera iſtorum ſentẽtia eſſet, aut mutare conſilium cogeremur, aut eorum metuere, vt ait ille, verbera linguæ. Ea enim quæ literis mandamus ita diſponere, ita illuſtrare non valemus, vt iſtis rugoſæ frontis hominibus cumulate ſatisfacere poſſimus. Ad ſcribendũ præterea excitamur ſtudio veritatis. quid enim eſt tam indignum Philoſophi grauitate, quã vitiare pigmentis & fuco orationis caſtiſſimas cogitationes ſuas? Quid tam perniciosum in Philoſophia, quam à maximis & perobſcuris quæſtionibus ad ſermonis lenocinia, cæteraſque oratorias artes animum auocare? Hæc infructuoſæ loquacitatis leuitas, & verborũ nimia luxuries, eſt potius à Philoſophis ſtudioſe coërcẽda. quemadmodum enim in agris quo magis lætæ ſegetes ſeſe profuderunt, eo minus ſpicarũ grana turgeſcunt; ita in libris Philoſophicis nimis eloquẽter cõſcriptis tanto minor ineſt doctrina, quanto maior apparet vrbanitas, & eloquentia. Sunt etiam multa in Philoſophia, quibus etiam volẽtes adhibere non poſſumus Romanæ linguæ candorem, nedum orationis

vbertatẽ. quod & in omnibus artibus euenire ſolet. in quibus cum earum rerum circa quas verſantur ſint fingenda vocabula, neceſſario incidimus in multam nominum nouitatem. Propterea nouum & proprium dicendi genus, quod ita nonnulli faſtidire ſolent, eſt à Philoſophis neceſſario excogitatum: & cum propter verborum inopiam ornate & ſplendide res ſuas dicere non poſſent, eas plane & perſpicue expedire maluerunt, quam maxime bonarum artium incommodo præterire. Multa etiam orationis ornamenta cõſulto neglexere: res enim à natura abſconditas venantur, non vocabula: Relinquunt iſta literatoribus. Quorũ alii, cum ne primis quidem labris deguſtauerint Philoſophiam, atque ideo de rebus iudicare non poſſint quia non intelligunt, eas ſilentio contegunt, & in verborum cultu tantummodo elaborãnt; in hoc exemplum ſecuti Timantis pictoris, qui ea quæ penicillo exprimere non poterat, velo aliquo obducere callide ſolebat. Alii vero cũ rerum Philoſophicarum excellentiam cognoſcant, & nihil eis poſſint obiicere, ſe ad verborum ſtructurã inuidioſe conuertunt, & ſingulas voces, quibus Philoſophi ſuos animi ſenſus expreſſere, ſtatera, vt dicitur, aurificis ſeuere ac diligenter examinant. Pleraque etiam, quæ ſunt extra Philoſophi-

cum negotium, nulliſque momenti, curioſis oculis contemplantur, & reprehendunt; perſonam Momi induētes, quem ferunt ſandalium Veneris tandem culpaſſe, cum Venerem culpare non poſſet. O infælicia iſtorum ingenia, quæ minutis hiſce rebus, indignis hominum altercationibus, ita acriter diſtorquētur, vt de mundi æternitate agere, imo pro aris & focis pugnare videamur! O ſuperbiam eorum inauditam, qui cum proprias vires teneant vnius vocabuli, credunt manibus ſe attigiſſe ſapientiam, quam ne viderunt quidem. Illa enim ita ſe extollit, vt iſtorum hominum hebetem oculorum aciem ſemper effugiat. Quidam etiam ex noſtris in eodem fere errore verſantur. nam, cum iudicio libero debeant eſſe Philoſophi, nullaque neceſſitate aſtringi, ne certam quandam velint nolint ſententiam tueantur, iurant iſti in vnius verba doctoris. Plenū timiditatis cōſilium, & minime glorioſum. dum enim alii longos Philoſophiæ ſinus parua ingenii nauicula ſecuri traiiciunt, iſti non audentes vndis ſe credere, vix ſumma littora legere trepidi conſpiciuntur; & quod minus etiam ferendum eſt, pulcherrimarum rerum cognitione omiſſa, atque poſthabita, in verbis tantum ipſis elaborantes, illorum cortici, quaſi oſtrea cōchis affixa, miſerabiliter

adhæreſcunt. Sed iſtos, fabularum magis, quam rerum explanatores, cum in ea ſint hæreſi,è Philoſophorum choro ſuſtulimus; etiam oratores, illos in ſuum gregem recepere. Neque propterea ſubſidio & acceſſione iſtorum,qui àPhiloſophia duce defecerunt, palmam Philoſophis extorquebũt aduerſarii; neque ſibi ipſis impendentem perniciem poterunt, vt fortaſſe credunt,in noſtros auertere.cum enim minus noceant apertæ,quam tacitæ inimicitię;expedit nobis augeri vires hoſtiles, ne permixtos amicis hoſtes habeamus. Et quia in diſputando non auctoritatis,vt faciunt Pſeudophiloſophi, ſed rationis momenta quærere debemus; proculdubio ſcimus, hanc noſtram ſentẽtiam in varias hominum reprehenſiones incurſuram, niſi eodem tempore firmiſſima fundamenta iaciamus; Ideo facturi operę pretium ſumus,ſi poſuerimus in medio ea,quibus in hanc ſententiam impellimur; Hoc pacto etiam labores noſtros ab aliorum iudicio & inuidia liberabimus; nam omnes aperte intelligent, nos non gloriæ cupiditate, non odio accenſos, ſed amore veritatis, & propriæ tutelæ neceſſitate coactos ſtylo manus admouiſſe. Vt autẽ perſpiciamus vnde natus ſit error iſte aduerſariorũ, prius afferemus illorum rationes;quas deinde oſtendemus non eſſe

adeo firmas, vt nos de opinione noſtra poſſint deiicere. Illos igitur audiamus. Clamant iſti, omnem operam eſſe adhibendã, vt caput optimarum artium Philoſophia, à ſermone Philoſophorum, neque eleganti, neque latino, in latinitatem & elegantiam vindicetur; Illa, inquiunt iſti, vltro tendit manus, fidẽ & opem miſerabilis implorat, ſupplex petit, vt quantum illam infuſcauit domeſtica barbaries, tantum illuſtret Romana facundia. Addunt, nil minus æquo animo ferendum eſſe ab homine liberaliter inſtituto, quam ab iis poſſideri Philoſophiam, qui nudam & inornatam afferunt in diſſerendo orationem. ſapientiæ cum eloquentia coniunctiſſimas intercedere neceſſitudines oſtendunt. neque aliud eſſe orationem niſi expreſſam quamdam mentis imaginem, ſi quis recte conſideret. ex quo ſequitur, ex pulchritudine orationis illam, quæ intus eſt, ſpectari dignitatem, eamque foris eluceſcere. Neque dubitant dicere, præclaras Philoſophiæ ſententias ſimplici ſermone inquinari, ornato vero niteſcere. O acutos homines! credunt; paucis verbis iam ſe confeciſſe negotium. Sed nihil eorum, quæ aſſumpſerunt, ad concludendum concedimus. Etenim ſi Philoſophorum ſententiæ preclaræ ſunt, vt fatentur, externis non indigent ornamentis.

In Virgine caſta fucati candoris & ruboris medicamenta damnamus, & in vera & incontaminata ſapientia laudabimus flores eloquentiæ? Inhæreant illis ſcenicæ meretriculæ Poëtica, atque Rhetorica, quibus maxime conueniunt. Dicent fortaſſe, bonum fieri perfectius, ſi illi ornatus aliquis & perfectio aliqua adiũgatur; ſed dicemus nos, ſępe etiam illud imperfectius euadere. Nonne maximum eſt ornamentum pictura? Hac tamen, ſi marmorei veſtirentur parietes, deturparentur, & ſolidam illam amitterent maieſtatem. Formæ etiam dignitas, quam in mundi corpore cernimus, defloreſceret, ſi partes ex quibus cõſtat magis perficerentur. etenim in eo non remaneret amplius illa harmonia, & illa proportio; rerum quoque ordo admirabilis totus perturbaretur. Ad numerum binarium ſi ternarium addas, binarius corrumpitur; cum tamen perfectionem adiunxeris. Eſt quædam etiam naturis ſimilitudo cum numeris; nam illę ſimplices, & indiuiduę ſunt, neque conſeruari poſſent, ſi cum aliis naturis, licet præſtantioribus, commiſcerentur. Propterea Plato grauiſſimus intelligendi magiſter animum noſtrum, qui in ſe quidquam admixtum non habet, numerum appellare ſolebat. Idem tibi eueniet in numeris muſicis. ſi enim citharæ chordas ni-

miũ intendẽtes, vt meliores concentus efficiat, reddet ſonum longe peiorem. Lapis vt quieſcat, & conſeruetur, fertur ſuo deorſum pondere, & niſi impediatur, ad medium vſque mundi locum; ſed ſi hunc vltra progrederetur, à quieto ſtatu recederet; & tunc aſcenderet, cum illum ad aptiorem quietis locum deſcendere crederemus. Calor qui fuſus eſt in corpore, eſt maxime ſalutaris; nam tam diu in nobis remanet vita, quam diu remanet calor, & illo refrigerato, nos quoque extinguimur; Sed non propterea illo magis accenſo vitam longius producimus, immo nimio febrium æſtu iactamur atque vrimur, & tandem occidimus; Ita paruum lumẽ lumine ſolis offuſcatur, cum eo magis illuſtrari deberet. Plantæ ruſticæ & ſylueſtres cultis locis prouenire haud facile poſſunt. dum enim cultus illas melioribus inſtituere moribus contendit, deprauat, atque peruertit. Animi quoque virtutibus ſi quid addideris, totam opprimes illarum naturam; quæ poſita eſt in quadam mediocritate. quod ſi iſtam, permotus ſtudio gloriæ, tenere deſpexeris, & maxima fueris molitus, id tibi non laudi dabitur, vt credis, ſed vitio: ſi quidem peccare nihil eſt aliud, quam tranſilire lineas mediocritatis. Sed quid percurrimus ſingula? Nonne in omnibus rebus certi ſunt ſtatuti

fines, vltra quos rectum conſiſtere non poteſt? Sæpe igitur perfectionis acceſſio bonum deterius facit, & quemadmodum formoſæ mulieres, dum ſtudent pigmentis & fucis formoſiores fieri, deformantur; & tum potiſſimum bene olent, cum nihil olent: ita res philoſophicæ, ſi illis calamiſtri orationis adhibeantur, fœdari ſolent, ſuntque ornatæ hoc ipſo, quod carent ornamentis. Quare dignitas mentis noſtræ, cuius imago eſt oratio, vt nos quoſque concedimus, ex ſimplici oratione, non ex ornata ſpectabitur. ſimplici namque oratione, quę magis rebus Philoſophicis congruens eſt, ſententiarum grauitas maior ſubeſt, & in ea magis elucet diuinum lumen ingenii. Si pulchritudinem animi ſermonis pulchritudo demonſtrat, certe ſimplex oratio demõſtrabit. illa enim eſt pulcherrima. nam cum ibi pulchritudo ſit, vbi partes inter ſe conſentiunt, quid eſt cur dubitemus dicere, in ſimplici ſermone, qui vehemẽter congruit Philoſophiæ, ſummam ineſſe pulchritudinem? Hanc tamen aduerſarii non cognoſcunt, qui etiam in dicendi genere Philoſophorũ venuſtatem muliebrem requirunt, non virilem dignitatem. Sed illis aliquid de iure noſtro concedamus. Sit ſermo ſimplex, quo noſtri Philoſophi vtuntur, rudis, incultus, atque horridus, non

propterea illorum animũ talem exiſtimare debemus, qualem præmonſtrat oratio. Pluma aues, ſquama piſces obduxit prouida ſollerſque natura; dulciſſimos præterea fructus amara cortice circumdedit,& veſtiuit extrinſecus?quid mirum igitur,ſi quandoque etiam venatores,& ſpeculatores naturæ elegantiſſimas rationes ſuas in rudes atque horridos ſermones incluſerint? Habet figura dicendi Philoſophorum,& Silenorum ſimulachra, quæ docta olim mirabatur antiquitas, maximam ſimilitudinem inter ſe. Erant iſta ore tetro, atque hiſpido, ſed plena gemmarum, & ſupellectilis precioſæ; Horrida quidem ad aſpectum, ſi in exteriores tantum partes defixeris oculos, ſed ſi illa intercluſa aperueris, & in intima introſpexeris, pulcherrima. Foris belluam, intus numen vides. Species quoque dicendi Philoſophorum nuda ac rudis apparet; in ea tamen pulchra & admirabilis rerum ſupellex continetur, quæ ad omnes vitæ vſus eſt vtilis. At contra figura dicendi oratorum ornata, & perpolita, ſæpe verborum inuolucris vitioſitatem & falſitatem tegere ſolet; dumque aures numero & ſono permulcet, offundit tenebras mentibus, & affectuum ſpinis rationis ſegetem necat. Huius Sirenes ſunt ſimiles; Illæ in mentitam figuram virginis habitum-

que formatæ, in verum maris mõſtrum deſinebant, & earum cautibus nauigantes capti demergebantur in mare. Ad legendum inuitat Orator Rhetoricæ ſuaſione dulcedinis, ſed inuitat quaſi in prædam. Infiniti accurrunt homines, quos ille, deſerens inſtituta ſapientiæ, & præcipiti calle procedens, ad exitium ducit. Deterret potius Philoſophus populares homines à ſuauiſſimis cibis Philoſophicis amara cortice verborum, & illis excluſis primarios atque præſtantiſſimos viros admittit; quemadmodum priſci fabularum integumentis arcanos ſenſus, & myſteria, quæ ſolis ſapientibus credebantur, occultare ſolebant, vt ab eorum cognitione idiotæ arcerētur. Id ſi ita eſt; Vbinam ſunt, ô Aduerſarii, illæ coniunctiſſimæ neceſſitudines, quas ſapiētiam habere eum eloquentia oſtendebatis? Certe hic oratorem videmus deſerere inſtituta ſapientis, & ſapientem non adhibere ornaméta oratoris. Sed nihil impedit, reſpondebunt, quominus orator eloquentiam cum ſapientia coniungat, & Philoſophus ſapientiam cum eloquentia. Sit in Philoſopho ea dicendi vis, quam fuiſſe in Pericle narrant hiſtoriæ. Doceat diſcenda ſtudioſos, ſed illis etiam perſuadeat, quæ docet; Tonet, fulgeat, fulmina iaciat, & poſtquam docuerit, aculeos relinquat in

mentibus diſcipulorum. Sit in Oratore eloquentia, ſed ſociata ſapiëtiæ, à qua interpres animi oratio proficiſcatur. Pompam quærat, & gloriam orator, ſed etiam rerum ſcientiam in audientium animis imprimat. Non ſit aliquid præterea, quod in iſtis requiramus, ſed ita res luce orationis illuſtrentur, & eloquentia fundamẽto ſapientiæ innitatur, vt neque ad intelligẽtiam rerum quicquam in Oratore mens, neque in Philoſopho ad animi iucũditatem amplius auris noſtra deſideret. O rem dignam, pro qua maximæ habeantur gratię Aduerſariis, ſi nihil impedit, vt ipſi temere affirmant, quominus Philoſophi noſtri perfecte etiã ſuſtineant perſonam Oratoris! Sed quoniã amplecti omnia, & nihil, ita paria ſunt, vt inter ea nullum prorſus diſcrimen interſit, ideo Philoſophum ſuo tantum officio fungi, ſuiſque finibus contineri volumus; ne dum in geminis ſellis ſedere deſiderat, vtraque excludatur. Veſpertilio non cõtentus vnica natura, vt cætera animantia, cum volucris & mus eſſe cuperet, neque in muribus plane, neque in volucribus fuit. Quid ridetis, ô Aduerſarii? Iſtud mutato nomine narratur de eo, qui & grauiſſimus Philoſophus haberi vult, & eloquentiſſimus Orator; ſed quam longe abſit ab vtraque perfectione, ipſe tum demum intelligit, cum

ſuarum conſcius virium nec cum Philoſophis congredi audet, nec cum Oratoribus, ſed vtrumque iudicium reformidat; Quod ſi forte in illos imprudens inciderit, ita vt ex eorum manibus effugere nequeat, ſe ſtatim tuetur armis aſtutiæ, & cum Philoſopho ſe profitetur Oratorem, & cũ Oratore Philoſophum; Ita variis temporibus varios etiam vultus mentitur, ne vnquam cogatur in certamen deſcendere. Habent igitur Philoſophia atque Rhetorica inſitas quaſdam, vt videmus, inimicicias, & ſeſe mutuo impediunt, ſi coniungantur; Quod cum inter cæteros animaduertiſſet Leontinus ille Gorgias, ſapientiam ab eloquentia ſeparauit, & vtriq; hac ratione proſpexit. O dignũ Empedocle diſcipulũ! Fixa hærebat, vt credere oportet, in illius animo doctrina præceptoris, qui res, & elemẽta, quę amicicia confuderat, litis auxilio diſtinxit, & illis ex cõfuſa congerie ſeparatis, mundi corpus adduxit in ordinẽ, & ſumma proportione conſtruxit. Et, vt verũ ſit quod diximus de Oratore, & Philoſopho, alterum ab altero impediri; eget tamen quandoq; eloquentia auxilio ſapientiæ, ſapientia vero nunquam ab eloquentia adiuuatur. ideo ægre ferunt iſti, perfectionẽ mentis ab ipſa eloquentia, quam vocant ipſi perfectionem orationis, diſſociari; dolentque, nos, relicto genere

dicendi ornato atque eleganti, in aliam linguam commigraſſe, quia dum illos deſerimus, non habent vnde mutuentur ſubtilitatem, ſi quandoque opus fuerit. Cum igitur profitentur, bonis artibus ruinoſis, vt aiunt, & nutantibus, breuique caſuris ſuccurrere; ſibi ipſis opem ferre, quis non videt; Intelligebant præterea Philoſophi, ipſam interpretem animi & mentis orationem, quæ à vera ſapientia non manat, quã plurimos in fraudem, & in errorem inducere; & maximam in omni vitæ perturbationem ſequi, cum lingua & cor inter ſe diſcordãt. quare nihil in humana ſocietate odioſius eſſe cenſuerũt, quam nomen eloquentiæ. Cupientes igitur oratores extinguere odium in ſe incenſum, falſo Philoſophorum vultu ſuſcepto ſe illorum cœtui coniunxere, cum quibus ſocietate facta rerum & ſententiarum ſyluam ſibi à ſapientia commode comparabant, vnde eorum proficiſceretur oratio; Sed tandem à noſtris, quibus impedimento potius, quam adiumento erant, confeſtim fuerunt expulſi. Quare homo liberaliter inſtitutus gaudeat, vehementerque lætetur, Philoſophos cum Oratoribus nullum habere commercium; & æquo animo ferat, apud illos habitare Philoſophiam, qui ſapiẽtum, & non multitudinis auribus orationẽ accommodantes,
eam

eam puram in diſſerendo afferunt, atque inornatam. Neque eſt quod Aduerſarii contendant atque elaborent, vt mater optimarum artium Philoſophia à ſua quadam propria ſermonis grauitate & breuitate in dicendi genus Oratorium, & in quandam inanem profluentiam loquendi vindicetur. Illa ſuo ſtylo contenta non implorat illorum auxilium, vt falſo aſſerunt ipſi, imo ſupplex petit vt ad ſe nullus accedat qui ſuum audeat variis dicendi coloribus immutare candorem; & tunc iſti, ô pietatem inauditam, Philoſophiæ porrigunt dexteram; ſed daturi ne, an accepturi porrigant illam, & quod ſit illorum conſilium, ſatis hucuſque demonſtrauimus. Erit igitur, ni fallimur, definita acerrima illa controuerſia, quam cum Aduerſariis habebamus; Illi in magnum quidem, & difficile nobiſcum venere certamen; Tandem noſtrorum virtute fuerunt in munimenta compulſi.

Ad Sereniſſimum FRANCISCVM MARIAM II, Vrbini Ducem VI,

De

Genere dicendi Philoſophorum; ſeu, De Sapientiæ & Eloquentiæ diuortio.

SECVNDA PARS.

SED irrito primi conatus euentu non deſpondent animum Aduerſarii, imo fortuna eorum quæ propemodum oppreſſa conciderat, altius erigitur, & ad victoriæ laudem rurſus aſpirat. Quare nouum nobis eſt prælium ineundum, nouus cogendus exercitus; cui ſi te præfici patieris, Dux Sereniſſime, vnaque decurres inceptos contentionis labores, tam intolerabilis iſtorum audacia pœnas dabit; neque ipſi audebunt amplius irritare Philoſophos. Sed iſte, qui exauditur clamor, illos appropinquare, iam iamque adeſſe prænunciat. Ecce primæ hoſtium acies, quibus præeſt diuinus ille Plato, qui non intelligendi ſolum, ſed etiam dicendi grauiſſimus magiſter eſt. Hunc Philoſophorum Homerum ſequuntur innu-

meri, qui vt diſcipulos ad ſapientiæ ſtudiũ allicerent, referſerunt libros ſuos fabulis, & blandiciis orationis. Putabamus, nobis cum Aduerſariis tantũ eſſe decertandum: ſed ô magnum & intolerandum dolorem; nobis etiam cum amicis manus ſunt conſerendæ, quibus ſi vulnera infligimus, nos quoque eadem ferri acie vulneramus. Auctoritate præterea tanti viri, quæ in illius nutu, nedum in ſententia reſidet, debilitamur, & frangimur. Horremus quoque ingratianimi crimen; quare difficile adducimur, vt cum eo congrediamur, à quo humaniter inſtituti ſumus. Sed quid de Platone ſentiamus, aduerſus quem debitam ſemper reuerentiam adhibituri ſumus, ſuo loco demonſtrabitur. Nunc in medium veniant nouæ rationes, quibus permota Aduerſariorum ingenia in iſtam ſententiã inciderunt. Illas quidem breuiter attingẽtes extenuare deberemus; minus enim mouerent animum auditoris; Sed quoniam Aduerſarios non odimus, vt plerique facere ſolent, neque eorum extimeſcimus vires, ideo introducemus ipſos loquentes. Quãdiu velint, nobiſcũ libere dimicent, accurrate cauſam dicant, exaggerẽt orationem, amplificẽt: nihil enim impedimus. Sapientes præterea viros, quos hac de re æquos iudices conſtituimus, dicendo cõmoueant,

& regulam ipſam, quæ vera & falſa diiudicare debet, prius, ſi poſſunt, inflectant. Fruſtra tamen ab iis tantus labor ſuſcipietur; impediet enim æquitas iudicum, cui æque ac cauſæ noſtræ confidimus. Sed quæ eſt iſta, inquiunt iſti, in releganda à Philoſophicis libris eloquentia tam inſolés barbaræ gentis audacia? Ab ea totus prope mutatus eſt ſermo; & verba, quæ omnino barbara ſunt de induſtria promũtur. Sed quid dicimus verba? Apud nos barbariſmorum fœtores, quibus ſcatent Philoſophorũ volumina, non dignantur nomine verborum.

O quantum diſtant Philoſophi huius ætatis à cacumine & faſtigio præcedentis ſæculi! Vere decreſcunt quotidie ingenia: eloquentiæ enim, quam in Platone, aliiſque præceptoribus ſuis admirantur omnes, in ipſis ne veſtigium quidem apparet; ſed illa ſe retro tulit, neſcio qua, ad malum pronitate naturæ.

• Cum noui ſenſus animi exprimendi ſunt, neque Philoſophi illos latine dicere ſatis commode poſſunt, vocabulorum inopia impediti, tum Græca miſceant cum latinis. Quod ſi voces nequeũt ab ipſa Græcia mutuari, quemadmodum fecit Tullius, nouas, dummodo neceſſitas cogat, parturiant, linguam augeant; permiſſa enim cuilibet eſt poteſtas faciendi noua nomina nouarũ re-

rum: Cætera autem ſermone vtantur latino, puro, & ab omni vitio remoto.

Sed iſta gens barbara exiſtimat, hanc ſcribendi licentiam ſibi ſemper eſſe permiſſam; imo in Philoſophorum concilium recipi illum non debere contendit, in cuius ſermonibus Romani oris elegantia & verborum ſplendor appareat.

Qua quidem opinione nulla in hominum mentes pernicioſior peſtis inuaſit. Dum enim Philoſophus barbare loquitur, ſuiſque rebus eripit lucem orationis, eaſque quodammodo occultat, noctem quãdam ſuo nomine offundit, & in hominum ignoratione verſatur. At ille qui oratione illuſtri, & perſpicua, res aperit abſconditas, ſe ipſum quoque profert in lucem, & ſermonis hominum conſequitur celebritatem. Hinc fortaſſe eloquentiſſimus Plato Gygen illum induxit; qui cum annulum abſcondebat illius pala ad palmam conuerſa, à nullo videbatur, tum autem videbatur, cum annulum inuertebat in lucem.

Sed ſi nullis, inquient Philoſophi, adſtricti legibus ſcribimus, & nullum apponitur rebus noſtris orationis lumen, cito extabit immenſa magnitudo operum, & cito mandabuntur literis innumera ingenii monimenta: Quod ſi breue hoc tempus ætatis in ſermonis elegantia à nobis conſumeretur,

minutorum opuſculorum fabricatores vix eſſe poſſemus. Et quidē Philoſphi verum dicūt: ſed noſtri nominis amplitudo librorum mole vel numero medienda non eſt, quemadmodum regiarum ædium magnificentiam magnitudine & celſitate earumdem metiri ſolemus. Parū prodeſt ſcriptoris gloriæ magnitudo voluminis, ſi ea repēte creuerit, & nulla adhibita cultura. Ea enim, quæ cito oriuntur, & augentur, cito etiam occidunt, & ſeneſcunt, & quilibet partus, ſiue naturæ ſit, ſiue ingenii, longus breui melior eſt. Hinc Poëtæ fabulā de cucurbita non temere confinxere, quæ ad imum celerius quā aſcenderat properauit.

Et tamen Philoſophi quidam hac tempeſtate reperiūtur, qui in libris elegāter conſcribendis tempus conſumere nolētes, depromunt cogitationes ſuas præcipiti quadam celeritate. Sed pœnam ſuo dignam errore ſuſcipiunt. Nam cum labor illorū non probetur, imo diſpliceat, præſertim iis, quos iudicare poſſe arbitramur, poſtponūtur doctoribus illis, qui res ſuas verbis electis grauiter, & ornate conſcripſere, & tandē veniunt in obliuionem. Et quidem iure ac merito deſerūtur. Non enim vulgaris & mediocris ſermo eſt in ipſa ſapiētia deſiderandus; nam ea quo ornatior eſt, eo etiam eſt melior: neque ſolum ſibi parare debet

Philoſophus cognitionem rerum, ſed illa etiam frui & delectari. At iſti Philoſophi & modum verbis cõſtituunt,& in eo,quod coërceri non deberet,temperãtiam quamdam expoſtulant. Nos quidem, ſi philoſopharemur, vellemus etiam delectari cum ſcribimus, & lectoré allicere ſuauitate ſermonis:neque eſſet aliquis tam inuidus,qui poſſet nos à tanta delectatione reuocare. Quod ſi nobis eloquentiæ ſtudio operam dantibus imminueretur aliquid de ſcribẽdi voluptate,vehementer tamen laboraremus,quemadmodum poſſent ea, quæ ſcribuntur, oratione illuſtrari; neque à ſcribẽdo retardaremur, neque propriis vigiliis à nobis modus aliquis definiretur. Sed quæ cauſa iſtos impulerit, vt in ſuis ſcriptis eloquentiam damnarent, nihil eſt, quod tam facile poſſit intelligi. ſemper enim dãnare ſolemus,quod ignoramus,quodq; aſſequimur non ſine magno labore. Hinc callida illa,& malicioſa vulpecula,cũ eam à maturis vuis,quibus ipſa ardẽter inhiabat, arceret nimia altitudo vitis, illas peracerbas guſtatu eſſe dixit,& alio conuertit aſpectũ. Pleriq; etiam eorum, quia ſpernunt & pro nihilo putant eloquentiã,illam à libris ſuis reiiciunt, & ſermone vtũtur vulgari atque humili.Hoc autem nihil aliud eſt,niſi velle relictis frugibus vitam glande, beſtiarum

more, ſuſtentare. Quod cum ita ſit, mirum nemini videri debet, ſi Philoſophi iſti veritatis luce priuentur. Hæc enim altior eſt, quam vt eam humi ſtrati ſuſpicere poſſint. Sed ſi extulerint aliquãdo caput, & ex tãta erroris caligine quæ illorum animis offunditur, lucem reſpicere inceperint, cognoſcent, ea, quæ dicuntur, ab iis ornari etiã, & veſtiri oratione oportere. Quemadmodum enim ſubtractis rebus verba carent fundamento, ita etiam ſemotis verbis, res lumen habere non poſſunt: eam autẽ affert rebus vtilitatem orationis lumẽ, quam præclaris pictorum tabulis diurna lux afferre ſolet. Neque alia huius neceſſitudinis cauſa eſt, quam quidam conſenſus humanarum artium, quarum cognitionem vnum quoddã ſocietatis vinculum colligauit; Singula tũc Philoſophi iſti complecti nolunt, ſed ea copulata diſſoluunt, & tamquam ab animo corpus, ſic à rebus verba diuellunt. Iidem poſtea (& non mirabimur nos tantam iſtorum hominum inconſtãtiam?) aliter de cohærentia mundi partium diſputãt atque de conſenſu humanarum artium opinabãtur. Nulla, inquiunt, res, ſi ab aliis diſiungatur, per ſeipſam conſtabit, aut, ſi aliæ careant illa, ſuam poterunt conſeruare perpetuitatem: Illas namque vna atque eadem vis naturæ conſtrinxit. Sed cur idem de artium

vniuerſitate, de ſapientia præſertim, & eloquentia, pronunciare noluerũt? Nonne habent etiam diſciplinæ ſua eleméta? Nonne etiam ipſæ propinquitate & amicicia quadam inter ſe continentur? Sapientis fortaſſe guſtatus reſpuit orationis dulcediné, quæ tanta cupiditate in forenſibus cauſis expetitur ab oratore. O diſtinctionem acutam! Sed eam nullo pacto probamus. Vna eſt enim eloquentia, ſiue in foro perſuadeat, ſiue doceat in Lyceo, & iiſdem ſemper eſt verborum ornamentis inſtructa: Nec verſatur ſine cauſa in ore ſapiétis: nam facilius veritas in auditorũ animos influit, ſi luce clareat orationis. Permouet, & docet oratio Philoſophi, ſapientiam cum eloquentia coniungentis. Hinc Theologi veteres per ſacrarum prata literarum; hinc Pythagorici, & Platonici, per campos Philoſophiæ aureum ſermonis flumen effudere: & dum recentes iſti tantum docent; & mouent, & docent antiqui, cum dicendi, tum intelligendi magiſtri. Et quia non facile ferũt aures orationis aſperitatem, eam dicentis humanitate condiunt, & ſuauitate verborum leniunt auſteritatem rerum: quemadmodum medici cum ægrotantibus pueris dare conãtur abſynthia, melle prius ſumma poculi labra illinire ſolent. In méſis etiam extructis conquiſitiſſimis epu-

lis videmus lancis crepidines bellariis depictas, ornatuque regali ornatas, vt proprio vtamur eorum vocabulo. His namque arte ſociatis cibaria conditiora fiunt, & edendi voluntas creſcit. Contra vero ſine nauſea quis leget Philoſophorum ſcripta præſentis ætatis, quos ita acriter non accuſaremus, ſi latine ſaltem loquerentur: Sed cum ab humanioribus literis eorum abhorreat animus, nihilque inſit niſi agreſte, & inhumanum, poſſumus etiam nos inhumaniter illos conuincere, & diſſidere ab iis, qui à ſe ipſis diſſident, dum eorum lingua à corde diſſentit.

Sed fruſtrà laborauimus; fruſtra initum ſecundum certamen, Ad iſtas voces clauſerunt aures Philoſophi; & cum in ea ſint hæreſi, verum Philoſophum non debere eſſe eloquentem, volunt prius de vitæ ſtatu deiici, quam de falſa opinione.

Hæ & aliæ huiuſmodi parum firmæ rationes, Princeps Sapientiſſime, ab Aduerſariis afferuntur. Sed ea poſſumus facile euertere, in quibus eorum ſe iactat oratio. Ordiamur autem ab eo, in quod illorum ſermo defluxit.

Eloquentem non eſſe verum Philoſophũ, poteſt ſine vlla dubitatione defendi: Id tamen iſti fateri nolunt, in quo maximo eorum pertinacia cernitur. Nam fatean-

tur ſaltem neceſſe eſt, eum, qui plures artes amplectitur, nullam poſſe mente comprehendere. Illos præterea faciles ad concedendum habebimus, naſci alios ad eloquentiam, alios ad Philoſophiam; difficillimumque eſſe, vim intelligentiæ noſtræ à reconditis rebus traducere ad cauſas populares. Ergo in Philoſopho lingua à corde diſſentiet? Quid tum? Damus hoc, & libenter quidem; multo enim malumus linguam noſtram à corde diſſidere, quam hominem excordem eſſe, & in dicendo loquacem.

Neque humanitas eſt deneganda Philoſopho, quamuis à literis, quas vocant iſti humaniores, illius abhorreat animus; imo ipſe eſt ſolus dicendus homo. Nam prodeſt ſapiens, licet indiſertus Inſipiens vero eloquens, tamquam furioſi gladius ſemper alteri nocet. Et quemadmodum ſtatuas plerumque materia, non figura commendat, ita Philoſophus ex materia, non ex figura ſermonis æſtimandus; qui quidem ſermo latinus eſt, idque negari non poteſt. Nam ſiue caſus impoſuit rebus nomina, ſic conſentiente aliqua hominum vniuerſitate; ſiue conſilium imponentis, & conuenientia, quam habent voces cum rebus ipſis nominandis; verius nihil eſt, quam dicere, Philoſophos eſſe latine locutos.

Imo penes illos loquendi norma eſſe deberet, cum eorum vniuerſitati maior quam aliis auctoritas ſit attribuenda, præcipuumque munus illorum ſit, vocum & rerum vires perpendere, & proportionem earumdem cognoſcere. Hinc dicebat ille, principium & fontem recte ſcribendi eſſe ſapientiam.

Quod ſi tantum illis tribuere non audet noſtra in diſputando modeſtia, excuſemus ſaltem eorum planum dicendi genus & inornatum. Dum enim ardenti quodam ad philoſophandum deſiderio concitati immenſa cœleſtium orbium volûmina animo euoluunt, nequeunt conſumere tempus in legendis libellis oratorum. Neque decet Philoſophum condire ſermonis dulcedine ipſarum rerum auſteritatem, quemadmodum bellariis cibaria conditi ſolent. Namque cum ſolis hominibus ad diſcendum iam paratis, & ſcientiæ cupiditate flagrantibus, verſari vult Philoſophia. Hos ad ſe attrahit nullis verborum illecebris; quemadmodum etiam, ſi fames verum cibi condimentum depellenda ſit, pura cibaria delectant; ſi morbus remouendus, homines abſinthia non reſpuunt.

De improuida, & credula puerorum ætate, quæ non niſi ludificata accipit medi-

cinam, nihil curamus. Philoſophos pueri non audiunt, ſed Oratores, ſed Poëtas. Hinc Poëtica atque Rhetorica, vt ad illorum aures dulcior flueret oratio, colores & numeros aſtute inuenerunt. At ruſtico verborum ſono cuiuſcumque auris offenditur. Hoc non eſt ita, in primo namque Philoſophiæ veſtibulo ſunt diſcipuli à ſenſibus auocandi; iiſque nondum limen ingreſſis nouæ aures comparandæ ſunt, quibus non terreſtrem Marſyam, ſed Apollinem cœleſtem exaudiant. Quod ſi is audientium animos, quos docet, eoſdem etiam non permouet, atque delectat, id profecto eſt, quia permouere non eſt ſapientis officium, ſed oratoris. Idque ſe ſenſiſſe nouæ Academiæ Theologi tunc aperte demonſtrarunt, cum veterum ſententias ſparſas, & vage diſiectas, in ordinem redigentes, eas in ſcholas contulere; à quibus Theologia deinde nomen traxit. Et inter veteres Cato, & alii grauiſſimi viri, nullum orationis florem ſecuti, indicarunt, argumenta, quæ nimis dilatantur, eſſe ad probandum infirmiora iis, quæ conciſo ſermone exprimuntur. Iſtorum fortaſſe iudicio ſtare nolent Aduerſarii.

Appellent igitur ipſum eloquentiæ patrem, ſuum cariſſimum parentem Cicero-

nem: Sed iam decretum ab eo, Philoſophorum ſcripta, quibus eloquentia annexa eſt, eſſe quidem ornatiora, ſed non vberiora; & malle ſe indiſertam prudentiam quam ſtultam loquacitatem. Nonne etiam in ipſa moneta naturam magis & æſtimationem æris inſpicimus, quam notam Principis, qui illam percuſſit? Aurum purum, & non egregii ſigillum artificis, quod in eo imprimitur, ſolemus in venditione contemplari.

Similiter pura narratio, & non verborum ornatus, affert vim audientibus; quod præcipue ſacrarum rerum monumenta teſtantur; quæ nullo Orationis lumine appoſito, ſed ſola veritatis luce noſtrorum mentes inflammant. Periclem dicentem, ſeu potius tonantem, & fulgurantem, admirata eſt Græcia vniuerſa; illius tamen numeroſa atque ornata oratione Alcibiades non permouebatur; permouebatur autem, vt aiebat, nuda, & ſimplici Socratis oratione. Quod ſi huius rationem quæſiuiſſet aliquis ex eo; nihil aliud profecto reſpondiſſet, niſi, maiorem in rebus, quam in verbis latere eloquentiam. Eamdem quoque cauſam ſe redditurum fuiſſe, tunc tacite demonſtrauit Ariſtoteles, cum ad tradenda præcepta dicendi aggreſſus, Rhetores illos ſtulticiæ damnauit, qui

in verborum ornatu & in incitandis animis tantummodo occupati, nulla Enthymematum præcepta reliquere. Inania verba quid faciunt? quid proſunt canoræ nugæ? Oratorem rerum inopem dicentem credes ſiliquam, quæ in dulci tectorio incluſos lapillos ſonantes quatit.

Corruunt ædes, ſi illis fundamenta ſubtraxeris; ſed muris demolitione ſublatis firma remanent fundamenta: ex quo non obſcure cernitur, cur verba egeant rebus, quibus innitantur, res vero verbis ita non egeant. Nec, ſi verba ſemoueas, res priuari lumine neceſſe eſt. Quemadmodum Sol ſyderum gubernator proprio lumine lucet; ita proprio lucet ſapientia. Humanarum artium ficto & commenticio conſenſui non aſſentimur; non enim illarum cognitio colligatur vno quodam vinculo ſocietatis.

Virtutes ſolummodo eæ, quæ à moribus noſtris confirmandis appellantur Morales, vna moderatrice prudentia copulantur; cæteræ vero diſiunctæ etiam reperiuntur. Cohærent quidem mundi partes, quia inane quidquam non eſt in rerum natura: ſed quomodo à cohærentia mundi partium, & elementorum, ad cohærentiam ſcientiarum accedant, non videmus. Habent, inquiunt, etiam diſciplinæ ſua

elementa. Captioſa ſunt hæc, accommodata magis forenſibus cauſis, quam ſermonis ſubtilitati. Vtantur in foro hiſce rationibus oratores, ſed cum ad lyceum accedunt, exquiſita afferant argumenta; non enim eadem eloquentia vtrobique eſt; Namque hæc quandoque mentitur, & decipit, vero in falſum, & crimine in laudem conuerſis; rem modo auget, modo extenuat; illa vero nunquam mendacio fallens, ſimplicis ſemper eſt amica veritatis; cum ſapientibus habitat, non cum pædagogis; de humanis diuiniſque rebus loquitur, non de fabulis Poëtarum. Iſta ſe occultat in pectoris latebris verecundæ virginis more; Altera vero ſemper in hominum ore verſatur, &, quemadmodum impudens meretrix, omnibus vltro ſe offert. Quæ quidem cum tales ſint, quales Oratio noſtra depinxit, quis erit in numero Philoſophorum, qui Rhetorum eloquentiam à libris ſuis non reiiciat, propria contentus elegantia doctrinæ? quis ad Philoſophicarum grauitatem rerum purum ac ſincerum dicendi non accommodet genus? Neque propterea is dicetur ariſtam glande mutare; dicetur, & verius, fructibus perceptis arborum folia negligere. Sed quo ornatior, dicunt iſti, eo melior eſt ſapientia. eſt autem ornatior cum

ſplen-

ſplendidioribus verbis vtitur ipſe Philoſophus. O vim maximam erroris ; ô pertinaciam ſingularem ? Nonne pluribus ex variis doctrinarum fontibus hauſtis ſatis iam confirmatum eſt , bonum acceſſione perfectionis fieri quandoque deterius ? Et tamen vellent ipſi , ſi philoſopharentur , allicere etiam lectorem ornatu , & ſuauitate ſermonis; in qua quidem re nihil apud nos ponderis habet iſtorum auctoritas. Nos enim Philoſophi , & non Grammatici cum ſimus ; diuerſam etiam à Grammaticis ſequimur in diſputando rationem. Neque eſt , quod illorum lingua loquamur , cum noſtra non modo non inops , ſed locupletior fortaſſe ſit ; Complectimur enim verbis quod volumus , & ita dicimus , vt intelligamur. Quare nolite exiſtimare , ô Aduerſarii, propterea Philoſophos noſtrum damnaſſe dicendi genus , quia id ſemper damnari ſolet quod ignoratur. Id , mihi credite , de induſtria reiecerunt ; prudentis pictoris inſtar , qui nunquam in maris tabula arborum ſpecies , quamuis pulcherrimas , depinxiſſet. At vobis ſapienter monentibus libenter aſſentimur , vt non ad magnitudinem voluminis , quæ ſcribentis gloriæ parum prodeſt , ſed vt ad culturam potius & diligentiam operis noſtrum

conſilium dirigatur. Currentes, vt in prouerbio eſt, incitatis: nam tota mente in ea cogitatione verſamur, vt ea quæ ſcribimus, ingenio perficiantur, & induſtria elaborentur. Sed vnde eſt iſta tam repente conglutinata concordia? Vnde eſt iſte amor tam improuiſus? Ambigua voce decipimur; Diligentiam enim & culturam, quas adhibendas eſſe conſentimus, ponitis vos in luce verborum; ponimus nos in ſententiarum ſubtilitate. Quare vobiſcum verbis tantum conuenimus, rebus autem diſcrepamus.

In ſententiis igitur vehementer occupati, verborum pigmenta negligimus. Neque propterea noctem quamdam noſtro nomini offundimus, quia rebus noſtris eripimus orationis lucem. illis namque proprio fulgore collucentibus, tamquam fulgentibus gemmis Philoſophi illuſtrantur. Quid Scoti nomine illuſtrius? Is tamen libros ſuos Pariſienſi, vt aiunt, ſtylo conſcripſit. Ille igitur Gyges ab Aduerſariis inductus, qui annuli gemma ad palmam conuerſa à nemine videbatur, fauet potius noſtræ ſententiæ, ſi latentem in fabula veritatem recte indagare velimus: Illius namque præclaro admonitu vitare Philoſophus debet inuolucra, & integumenta verborum, quæ in Rhetorum ſermone

totuoſo nimis, & implicato, adhiberi ſolent. Quod ſi ſententiarum gemmas occultat palma eloquentiæ, eaſque remouet ab oculis noſtris; à nemine videtur, à nemine legitur; ſed iacet ignotus atque obſcurus. Idem quoque hiſtoricis quibuſdam accidiſſe cognouimus, quos, cum propter nimiam oſtentationem eloquentiæ & antiquitatis, non ex recenti ſermone hominum, ad quos ſcribunt, ſed ex veterum libris nationum & regionum vocabula eruerint, quaſi Chaldæorum lingua locutos non audemus attingere. Minus quidem illi, iudicio noſtro, peccarunt, qui, ne res ſuas obſcuritate inuoluerent, reiectis antiquis nimis & iam obſoletis vocabulis, eas vocibus non latinis explicatas tradidere. Hoc enim iam à conſuetudine impetratum eſt, quæ multis verbis vtitur pro latinis.

Reſtat etiam de Platone, quem ferunt conſenuiſſe in exornandis dialogis; adeo ſummus in illo fuit amor eloquentiæ.

Negabit fortaſſe aliquis ex noſtris, eſſe in Platonis ſermonibus eloquentiam cum ſapientia ſociatam, dicetque; Aduerſarios pro certo ſumere id quod eſt maxime controuerſum. Sed ad hoc ſentiendum nos accommodare non poſſumus. Quamuis

enim Plato contemptor & exagitator Rhetorum dicatur à Cicerone: quamuis Poëtas è ſua Republica eiiciat: quamuis multa, in aliquibus nulla, dedita opera, appareant veſtigia naturalis eloquentiæ, præſertim in iis, qui ea lingua loquuntur, quam ſuxerunt pene cum lacte nutricis; verius tamen eſt, Platonem eloquentiſſimum extitiſſe. Hinc apum examen in illius ore fauos finxiſſe, ferunt; Hinc Iouem, ſi græce loquatur, ſic loqui; Tanta in eo fuit dicendi ſuauitas, tanta copia verborum. Sed cum Rhetorica Palmæ, Dialectica pugno ſimilis dicatur; cur, puro & compreſſo dicendi genere ſpreto, quod eſt Philoſophiæ maxime proprium, fuſe lateque locutus eſt Plato? Erat ne adeo pertinax, adeo cæcus, vt non videret, & fateretur, in Philoſophicis rebus diſtincte & ordinate diſponendis plus valere Dialecticam? Nunquam profecto tantum ingenium in tantas erroris tenebras incidiſſet. Oratorie ſcripſit ſapientiſſimus Plato, quia nondum iis temporibus fuerunt: doctrinarum flumina ex communi iugo Sapientiæ in contrarias partes delapſa, nondum aliquo ſeparata diſcrimine. Primus Ariſtoteles breuiori & planiori via philoſophatus, vidit tamquam in mare Su-

perum Philoſophiam defluentem; in Inferum vero mare excurrentem Oratoriam facultatem. Palmam dilatatam, quæ eſt Rhetorum propria, illiſque data eſt ad Orationis ſonos eliciendos, & ad forenſia negocia, diuinis etiam atque humanis rebus admouit eloquentiſſimus Plato. nam veteres omnes vſque ad Ariſtotelem in diſciplina bene diſſerendi plane inermes ac nudi, nondum illam contraxerant, nondum digitos compreſſerant, & pugnum facere potuerant. Videmur nobis videre, omnium linguas, ira inflammatas, in nos eſſe conuerſas; quaſi honos Platonis agatur; & quaſi dictu nefas ſit, rudem in Dialectica magiſtrum habuiſſe in illa arte diſcipulum maxime exercitatum.

Sed vir omni laude cumulatus non eget falſa gloriola. Nihil illi iniuſte, nihil inuito detraximus. Illum namque hac arte fuiſſe deſtitutum, teſtantur non ſatis ab eo conuicti ſophiſtæ; Idque ille ipſe tunc aperte confitetur, cum Socratem dicentem inducit, ſe quidem ſcire interrogare, ſed reſpondere neſcire. Neque Ariſtoteles auſus fuiſſet dicere, ſe diſſerendi rationem inueniſſe, ſi eam à præceptore accepiſſet. Mirum igitur nemini videri debet, ſi ea, quæ Plato literis

conſignauit, ſint Rhetorice magis, quam Dialectice diſputata, & ad grauitatem rerum ornamenta ſermonis acceſſerint. Sed Aduerſariis reſponſum ſatis. Tuas aliquantulum aures ab hac contentione relaxemus, quas diſputantibus nobis faciles præbuiſti.

Ad Sereniſſimum
FRANCISCVM MARIAM II. Vrbini Ducem VI,

De

Genere dicendi Philoſophorum; ſeu, De Sapientia & Eloquentiæ diuortio.

TERTIA PARS.

HActenus repreſſus impetus Aduerſariorum: qui tandem metu eruditi, abierunt ad tutiora conſilia: Nunc quam iniuſte bellum intulerint videamus. Tu vero, ſapientiſſime Pinceps, ſi inter maximas regendarum vrbium occupationes, & ſtudia doctrinæ, quibus implicaris aſſidue, tantum habueris otii, hanc etiam partem libenter aſpicito.

Intelligendi & dicendi artes, quas ſumma quadam ſocietate coniunctas vidit antiquitas, fecere non ſine cauſa diuortium. altera enim familiaritate alterius implicata proprium deſeruerat officium: altera ad excolendum alterius fundum intenta ſemiputatam vitem in ſuo iacere conſpexerat. Certe Philoſophia dum in proximo Rhetoricæ

campo, in quo maior inerat foliorum luxuries, operam poneret, eiuſque amœnitate oblectaretur, rerum & ſententiarum meſſem amiſit. Cum igitur eſſet hoc cautior facta periculo, in domeſticis agris qui eam ſatis alere poſſunt, illius tantum elaborat induſtria. Philoſophia & Rhetorica diſſociatis, neque amplius in veteri communione manentibus, duæ inter ſe diſſentientes familiæ ex vna & eadem domo prodiere: Harum vnam, augentes linguam latinam, appellabimus Diſciplinarum Realium, alteram vero Sermocinalium. Omnes Philoſophiæ partes ex rebus, quod in illis præcipue verſentur, nomen inuenere. Rhetorica vero, Poëtica atque Grammatica à ſermone, quod illarum materia ſit, illud accepere. Atque ambæ ſuis finibus contentæ, nihil, niſi neceſſitate coactæ, de alterius parte contrectant; Nullo namque vteretur ſermone Philoſophus ſi res tacendo poſſet exprimere; Neque Rhetor à Philoſopho res mutuaretur, niſi illæ eſſent ſermonis materies, & quaſi fundamentum. Hinc non pudet Philoſophum ſui humilis atque demiſſi ſermonis, quia non profitetur eloquentiam; Neque oratorem, qui deſpicit ſapientiam, ſuæ pudere debet ieiunitatis rerum. Sententiarũ, non verborum inopia poteſt in Philoſopho reprehẽdi; quemadmodum ille iure

optimo accuſari poſſet, qui Geographiam profeſſus, neque interualla locorum teneret, neque magnitudines regionum. turpe enim eſt peccare in eo, cuius ſe vult haberi magiſtrum. Sed ſi Philoſophus in dicendi arte peccauerit, quam ipſe non profitetur, vel non tantam quantam orator ſuis ſcriptis elegantiam ſermonis adiunxerit, quis audeat illum condamnare? Nonne verba ad res ipſas, tamquam ad finem in Philoſophia referuntur, vt curatio ad ſanitatem? Quemadmodum igitur ægrotus ſanitatem, quam vult, valde vult: ex medicamentis autem ſemper minima eligit, eaque accipit certa quadam menſura: ita etiam Philoſophus nullum conſtituit rerum contemplationi modum, quem adhibet verborum inanium flumini, variiſque eloquentiæ laboribus. Contra autem dicendi artifex orator, quia rerum ſyluam tantum comparat ſibi ad opera elaborati ſermonis, attingit res ſtrictim, & leuiter; confert vero omnes curas & cogitationes ſuas in delectum, & ſtructuram verborum; exemplo ſtatuarii, qui parum moratur in natura æris perſcrutanda, diutius vero detinetur in effingendis æris lineamentis. Et quidem nunquam orator rude & indoctum hominum genus à fera & agreſti vita ad beatiorem reuocaſſet, niſi orationem, quam iſtorum guſtatui

accomodare debebat, eloquentiæ melle aſperſiſſet. Ideo etiam ratiocinatione ſemota exemplo duntaxat eſt vſus ad illorum animos excitandos; quia cum, ſenſu, non ratione gubernarentur, & iudicium in ſenſibus ponebant, & ratione minime permouebãtur. Philoſophus ab eo longe diuerſus breuiores & planiores vias eſt perſequutus, quandoquidem illi cum attentis & intelligẽtibus auditoribus negotium ſemper fuit: neque erant currentes concitandi, neque ſermonis dulcedine alliciendi ii, quos iam ſatis traxerat amor ſapientię, & honeſtatis. Agreſtes illos homines, tardiores cæteris ad capeſſendas virtutes, ſtimulis concitet orator, fodiat, laceret, cruentet; At diſcipulis veri bonique cupiditate accenſis Philoſophus calcaria non adhibeat, eos nullis precibus obſecret, ſed tantum, rem eſſe, vel non eſſe, affirmet caſto & ſimplici ſermone, non perpolito, & ornato. Et illud quidem admiramur, quamplurimos grauiſſimos viros ex Peripateticorum familia exiſtere, qui nos eſſe putent in graui, & periculoſa hæreſi; cum tamen illam ex eorum fonte hauriamus. Eam, pace illorum dixerimus, ab Ariſtotele accepimus. ille nos docuit, ex diuerſis orationum generibus ſolam enunciationem quæ vera vel falſa eſt, eſſe adhibendam à Philoſopho in ſuis ſermonibus; Depreca-

[...]m vero, cæteraſque orationes neque [...]as, neque falſas, in quibus ſuaſio & dicendi artificia continentur, reliquit Rhetoricæ atque Poëticæ. Cognouit namque illud diuinum ingenium, non eſſe Philoſopho neceſſariam eloquentiam ad permouendos alumnos; cum ipſi in ſola cognitione conquieſcant: Oratori vero deprecationem, cæteraſque dicendi faces conſulto miniſtrauit; vt iis excuſſis & admotis auditorum animos inflammaret, eoſque, vt illius proprium munus eſt, ad agendum impelleret. Neque potuiſſet orator fallere auditores, vt nonnunquam facere ſolet, captioſa probabilitate, niſi dicendi artibus fuiſſet inſtructus. nihil enim eſt tam incredibile, aiebat ille, quod non dicendo fiat probabile. Haſce artes, quas oratori conceſſit egregius ille vir Ariſtoteles, non ſine cauſa denegauit Philoſopho ſemper amico veritatis. Offerunt ſeſe innumerabiles pene rationes, quibus id confirmare poſſimus; ſed dum quælibet earum exitum cito reperire deſiderat, ab altera retardatur. Ita aquam hæſiſſe quandoque vidimus, dum ex anguſto valſe tota eodem tempore conabatur effluere. Hinc nos (quis crederet?) egemus abundantes. Sed incedamus gradatim ad noſtram ſententiã confirmandã, quæ, licet aduerſariorũ impetum repreſſerimus, adhuc tamen

fluctuare non deſinit; triremis inſtar, quæ ſuum retinet curſum, intermiſſo etiam pulſu remorum. Agamus leniter cauſam Philoſophorum, ne in certamen præcipitaſſe videamur, non deſcendiſſe. Ariſtoteles nobis teſtis eſſe poteſt, ſermonis proprietatem ita eſſe Philoſophorum propriam, vt ab eorum ſcriptis ſeparari numquam poſſit. Sed à proprietate naſcitur humilitas orationis, ſi eidem credimus, quæ quidem diſcrepat à Rhetorum pompa, & à ſuperbia dicendi. Neque eſt quod Peripatetici doleant, traxiſſe nos ſuum in hanc ſententiam præceptorem: nam illam ſponte perſequitur, quinimo nos tanti viri auctoritate freti ſentimus iſta liberius. Doleant potius Adverſarii, Ciceronem, quem exercitui ſuo præfecere, in id ipſum, quod timebat, incidiſſe. cum enim de perfecto oratore diſputaret, dixit, ſtyli mediocritatem Philoſopho conuenire; acſi voluiſſet dicere, aliud eſſe dicendi genus Philoſophi, & aliud Oratoris; neque eſſe in Philoſopho deſiderandam eloquentiam, quam magnificentia verborum, & gloria delectat. Sed quemnam latet inconſtantia Ciceronis, qui modo eloquentiam cum ſapientia coniungendam eſſe clamat, modo Philoſophos ſuo quodam more locutos excuſat. Sciebat, earum rerum, quæ in quaque arte verſantur, neceſſario

eſſe conſtituenda vocabula ; Videbat, ipſas etiam Rhetorum artes, quæ ſunt totæ populares ; verbis tamen in dicendo quaſi priuatis vti ac ſuis.

Animaduertebat etiam, Poëtas cum nimia rerum mole opprimuntur, ſermoni cultrices manus adhibere non poſſe. Id quod potuit Poëta cum Rhetore impetrare, non debebat denegare Philoſopho.

Ex altera vero parte adeo eloquentiæ pulchritudinem eximiam adamabat, vt etiam in Philoſophicis ſcriptis illam vellet reperire. Hinc diſtractus in contraria, Philoſophorum orationem nimis ſolutam oratoriis numeris aſtringere, eamque nimis nudam elegantibus verbis veſtire cupiebat; Sed cum illius caſtæ & verecundæ Virginis ſpeciem intuebatur, ſe reuocabat, neque ad opus hoc audebat accedere. Quod ſi Tullius hæſitat in cauſa Aduerſariorum, cui tamen conſtitutus eſt patronus, quid nos facere debemus illorum iniuriis prouocati? Sui tuitio, & ius vlciſcendi, à natura proficiſcuntur ; quod ſi vlciſci nolumus, nos ſaltem alacriter tueamur. Vtamur, vtamur libertate quadam, & licentia loquendi; neque dicendo curemus cum verbis congruere ſermonem, dummodo cum rebus congruat atque ſententiis. Aberret oratio, dummodo ratio ratione regatur.

Neque in labris habitet canorum illud, & dulce quod populi aures permulcet, dummodo cantu illo dulciori, qui ſapientum mentes ad ſe conuertit & rapit, noſter perſonet animus. Philoſophum docentem volumus, non dicentem; magiſtrum, non oratorem. Diffidere enim rebus videntur Philoſophi cum ad oratorum verba confugiunt. & quemadmodum ille medicus probari non debet, qui cum morbum intra cutem ſubeſſe cognouerit, tamen nihilominus ſummæ tantum cuti adhibet medicamenta: ita etiam Philoſophus cui animi noſtri curatio demandatur, ſuo minime fungeretur officio, ſi illius ſanitate neglecta ſolis auribus mederetur. Quid, non quomodo, ſcribat, diligenter excogitet, ſagaciter perueſtiget. ſubtiliter diſputet: grauiter ſcribat, non ornate, non copioſe. Res colligat non ex amœno Muſarum iugo, ſed illas ex horrido illo ſpecu extrahat, in quo vidit Heraclitus latitare veritatem.

Dubitamus fortaſſe, quin eæ libenter ſint à diſcipulis perdiſcendæ, ſi à nobis libere diſputantibus nitor ille Romanæ linguæ, qui temporum iniuria obſoleuit, illis non reſtituatur. Vino, vt aiunt, vendibili ſuſpenſa hedera nil opus. Latine & eleganter de Natura locutus callidus Lucretius, quaſi hedera ſuſpenſa omnes inuitauit, & allectauit,

Emptor tamen nemo fuit, qui Vacuum, Atomos, Deum corporeum atque inſcium humanarum rerum licitari voluerit. At Scotus ſua ſcribendi licentia, & ruſtica vocis aſperitate quaſi iners mercator, qui ſuas laudare merces neſciat, omnes, etiam emaces, etiam diſcendi cupidos, ab emptione repellere debuiſſet; ab illo tamen omnes cohærentiam corporum materiam, & formam, Deum corporis expertem, & prouidentem rerum noſtrarum multo carius emere maluerunt. Quare obmuteſcant iſti literarum Triumuiri. non enim vbi res quam plurimæ nitent, paucis verborum maculis offendimur. Illæ, ſunt veluti in corpore nævi, quibus formoſæ Virginis lepos augeri quandoque ſolet.

Studio elati defenſionis noſtræ, fuimus fortaſſe, quam par erat, longiores. Sed iam ad exitum perducta diſputatio.

Quod ſi Philoſophos non ſatis ſtrenue defendimus; nec ea quæ dicimus probamus ſatis, nec euertimus ea, quæ oppugnamus: ſuſtineant alii hoc onus à nobis male ſuſceptum. Præſtitimus nos, quod potuimus; libere diximus quod ſentimus, & quod noſtram ſcribendi licentiam excuſet.

FINIS.

Digitized by Google

RERVM ET VERBORVM,

Quæ præcipuè hiſce duobus libris comprehenduntur,

INDEX.

A

ABſtinentiâ paßiones ſuperari. 71
Academici noui perſtricti. 41
Actio non finis, ſed via ad finem. 59. 100
Actio omnis bonum quoddam expetit. 59. 133
Actio ſecundum virtutem an ſit vera felicitas, quod ſtatuit Ariſtoteles? 58. 59. 131
Actio moralis ex tribus elementis conſtat. 25
Actionum humanarum fontes tres, qui? 28
Actionum moralium, ſecundum Ariſtotelem quatuor fontes. 139. *vnde emanent iidem?* 142
Actiua vita in homine ſecundo. 13. *cur ei tributa?* 14.
Actiuam vitam eſſe perfectionem hominis externi. 14
Admonitio quid? 65
Æqualitas Geometrica & Arithmetica. 154
Æſopi moralis inſtitutio qualis? 11
Affectiones animi non fruſtra à natura tributa. 107. *ea vt ſe habeant erga rationem?* 73. *comparantur ventis.* 73. 74. *quomodo moderandæ?* 77
Affectionum numerus vnde diſcendus? 74. *qualitas ex obiectis.* ibid.
Affectionum ſedes inſtar facium in fundo animi. 72
Alæ animarum Platonicæ quomodo rei veritati applicentur? 15
Alcibiades non Periclis ornatâ, ſed ſimplici Socratis oratione ſe permotum fatetur. 190
Alcibiadis confidentia à Socrate deriſa. 87
Alcyones. 51

O

Alexandri Macedonis dominatus reddidit homines felices. 96
Allegoria hominum lunæ vices deprehendere ſatagentium. 46
cum *Amicis conſerere manus quàm periculoſum?* 179
Amicitia inter externa bonum maximum. 29
Amor, amans & amabilis queî differant. 104
Amoris obiectum. 74. *efficacia ſeu potentia.* 75. *definitio.* 76. *diuiſio.* 76. *oppoſitum.* 78
Amphionis lyrà ac ſuauitas eloquii. 95
Anaxagoræ fuga. 32. *fames* 124
Animantes ratione vitæ quid differant ab homine? 11
Animus contemplatione oblectatur. 93
Animus virtutibus ac prudentia ornatus, ſimilis naui nautis & gubernatore inſtructæ. 73
Animi pars ſuperior & inferior quid differant? 13
Animum noſtrum numerum vocauit Plato. 169
Annibalis prudentia militaris. 127
D. Antonii patrocinio Patauini in peſte fruſtrà innixi. 89
Appetitus nunquam omninò ſubiectus rationi. 143. 151
nunquam prorſus extinguitur, 145
Appetitus rectitudo qua? 119
Appetitum non ſemper ratio regit imperio. 1'9
Aquâ frigore congretâ iugulatur puer. 50
Arbiter pacis, & eius officium. 30
Argumenta, quæ nimis dilatantur, ad probandum conciſis ſunt inferiora. 198
Ariſtippi philoſophia laſciua. 53
Ariſtoteles quaſi Philoſophorum Deus. 58. *bene diſſerendi primus autor.* 196. 197 *primus breuiore ac planiore via philoſophatus.* 196. *ſibimet contrarius,* 100. *reprehenditur.* 143
Ariſtotelis doctrina de moribus qualis? 131. *eandem neminem facere prudentem artificem ciuilem.* 159
Ariſtotelis de felicitate dogma examinatur. 58. *item*

alia quadam eiuſdem placita. 64. & ſeqq.
Ars omnium artium maxima, qua? 55
Ars & prudentia quid differant? 124. 138
Artem bene viuendi eſſe nullam, philoſophi quidam contenderunt. 41
Artes excitaſſe inopiam. 121
Artium regina qua? 87
Artium humanarum conſenſus. 184
Articuli fidei mentis rationem tranſcendunt. 101
Audacia. 75. 79 81
Audacis proprium. 111
Autoritas humana quanti aſtimanda? 130

B

B*Arbaries philoſophorum grauiter à Rhetoribus accuſatur.* 180. & ſeqq. *defenditur.* 186. & ſeqq.
Beatitudo quid? 98
Beatitudinem aternam ex neceſſitate appetimus 25
Beatitudinem in quibus fruſtra homines quarant? 57
de *Beatitudine differentium opiniones numero quot?* 41
Bellum non per ſe optari. 16
Benedictum in vepribus ſe volutaſſe. 144
Bernardi dictum de voluptatum obiectis. 144
Bonum perfectum. 98
Bonum num fiat perfectius adiuncto ornatu? 169
Bonum honeſti & flagitioſi diſsimiliter iudicant. 23
Boni malique diſcrimen à philoſophis nonnullis negatum. 41
Bonorum origo à patre luminum. 85
Bonorum diuiſio vnde orta? 115
Bruta electionis libertate cur careant? 25

C

CÆſaris prudentia militaris. 127
Caietanus Thomiſtarum Achilles. 90. quid de Prouidentia Dei ſenſerit? ibid.
Caietani ſubtilitas in moralia inducta, quanta? 19
querela. 87
Calor naturalis. 170
Carthuſiarum origo vnde? 144
Catonis ſtylus qualis? 189
Cenſores terminorum philoſophicorum vituperantur. 165
Chriſti fideles in hac vita non abſcendere in Deum. 102
Chriſtiana fidei oratoribus qui ſcopus? 35
Ciceronis de philoſophia eloquentiam annexam habente iudicium. 190
Citò quæ oriuntur, citò occidunt. 182
Ciuilis philoſophia an diuinitus in fundatur? 87
Ciuilis diſciplina principes partes duæ, quæ? 43
Ciuilis philoſophia bona. 85. neceſſitas. 86. neglectus vnde? 86
Ciuilis ad normam artificis, omnibus artibus laborandum. 89
Concupiſcentia cur actionis mixtæ non ſit efficiens? 22
Conſiliariis Principes quando parum egeant? 150
Conſpicilia pro ſimili adducta. 46
Conſulere bene & recte differunt. 125
Conſultatio quid? 24. cur neceſſaria? ibid.
Conſultatio & Conſilium. 125 & ſeq.
Contemplatio virtutis non otioſa. 34
Contemplatio non abſoluit philoſophum. 32
Contemplatio qua re impediatur? 15
Contemplationis gradus ſeptem. 100
Contemplatiua vita in homine primo. 12. eandem eſſe perfectionem hominis interni. 14
Contemptus rerum humanarum cupiditates extinguit. 77
Continens & temperas quid differant? 145
Continentia late ſumpta. 28
Continentia in moralibus ſola habitus laudabilis. 153

Continentia & incontinentia quomodo procreentur? 40. 41
Corporis oblectamentum maximum quod? 93
Corpori ſoli non vacandum. 94
Criticorum notatum ſupercilium. 166
Cucurbita fabula. 182
Cupiditates qua ratione frenentur. 77
Cupiditatibus hominum qua ratione natura prouiderit? 52

D

D*Amnare, quod ignoramus, vt plurimum ſolemus.* 183.
Delectatio vnde? 74
Democritus. 125
Deſiderii obiectum. 74. *definitio.* 76
Deſperatio vnde? 75. *quid?* 80
Deſperationis affectus qui? 80
Deus neque numeri ſingularis neque pluralis. 103
Dicendi artifex circa quæ laboret? 201
Dignitas improbos non facit dignos, ſed magis oſtendit indignos. 49
Dignitates & honores non certa probitatis indicia. 48
Diogenes dolio ſuo contentus 49
Diſciplinæ reales & ſermocinales quæ vocentur? 200
in *Diſputando non auctoritatis, ſed rationis momenta quærenda.* 167
Diſtributio non aliud quam Commutatio. 157
Diuites non eſſe vere felices. 47
Diuitiæ in bonis non computandæ, cur? 48
Dolor vnde? 75. *quid?* 79
Doloris medicina. 79
Dominatus etiam cum violentia, non eſt iniuſtus. 95
Dominium non ſine violentia procreatum 94. *non abſolutè violentum.* 96

E

E*Lectio ſeu liberum arbitrium quid?* 24
Electio recta quid diſtet ab actione? 61

Electionis libertas vnde oriatur? 25
Eloquentia auxilio ſapientia quandoque eget; non viciſsim. 175
Eloquentia nomen cur philoſophis odioſum? 176
Eloquentia patroni quibus argumentis cauſam ſuam defendant? 168
Eloquentia cum ſapientia coniuncta vis & efficacia. 185
Eloquentiam neceſsitudines habere cum ſapientia negatur 173
Eloquentiam in rebus maiorem, quam in verbis latere. 190
Epicteti dictum notabile. 79
Epicurus anima immortalitatem non potuit aſſequi. 91. *taxatur.* 92
Errores veterum philoſophorum varii. 39
Ethica diſciplina ſummitas quinam fuerint? 129
Eunuchi maximi amatores. 146
Excandeſcentia. 82

F

Felices eſſe omnes deſiderant. 45
Felicitas quid? 17
Felicitas hominis finis 31
Felicitas intra nos poſita, non extra quarenda. 50
Felicitas cogitatione apprehenſa, quibus motuum gradibus realiter obtineatur? 19. & ſeqq.
Felicitas actiua quid? 31
Felicitatis vera viam cur pauci norint? 45
Felicitatis fundamenta & faſtigium quinam coniunctâ operâ ponant? 34
Felicitati ſuprema finitimi quinam credantur? 52
Felicitatem veram oſtendere philoſophiam. 57
ad *Felicitatem adſpiranti qua inſtitutio neceſſaria?* 32
Feritas & incontinentia quid differant? 29
Finis creati hominis. 99
Finis optimus & praſtantiſsimus qui? 122
Finis ab actione differt. 132
Finis vltimus moralis facultatis non ita cognitus. 40
Finis ignoratio totam artem reddit dubiam. 40

Finis gratiâ electionibus & actionibus mouemur. 121
Finem hominis naturali tantùm lumine reſpicientes, quibus ſimiles? 97
Fines certi in omnibus rebus ſtatuti. 170
Fines omnes referri ad vnum. 121. & 122
Fines particulares, niſi in vniuerſalem referantur, nocent. 86
Fines diuerſi diuerſificant ſpeciem habitus. 128
Forma elegantia res fluxa. 50. 51
Fortis verè, deſcriptio. 112
Fortitudo quos affectus moderetur? 107
Fortitudo duplex, bellica, domeſtica. 105. *inuoluntaria.* 112
Fortitudinis officium. 84. *munera duo quæ?* 105
Fortitudinis non vera ſpecies quinque. 111
Fortunæ donis gloriari nemo poteſt. 50
Franciſcus & Dominicus quatenus Stoicam diſciplinam ſuperent? 136
Fucis ac pigmentis mulieres deformari potius. 171
Fuga ſeu auerſatio quid? 78
Furari, malum qui cognoſcit, an furetur? 65. & ſeq.

G

Galenus notatus. 93
Geographiam profeſſum quæ tenere oporteat? 201
Germaniæ populorum quorundam mediocritas & αὐτάρκεια. 77
Gloriâ nihil iucundius. 106
Gyges qua ratione ſe præſtiterit inviſibilem? 181

H

Habitus quomodo fiat? 18. 25. 64. 67. 134
Habitus agendi non idem qui faciendi. 124
Habitus perfecti imperfecti 27. & 28
Helenæ ſpecioſitas vna febriculâ deperdita. 52
Heraclitus taxatus. 41
Heroica excellentia feritati oppoſita. 28
Hieronymi dolor ob incendia libidinum. 143
Hiſtoricorum quorundam affectata obſcuritas notata. 165

Homo mundi vinculum. 10
Homo duplicem in vna forma gerit ſubſtantiam. 10. 12
Homo internus & externus. 12. *idem primus & ſecundus.* 12. 13
Homo ſecundus quomodo iterum euadat homo primus? 15
Homo ſolus philoſophus. 187
Homo ſolus viuit multifariam. 10
Homo veluti tabula abraſa. 136
Hominis creati finis. 99. *exornatio.* ibid.
Hominis creati, lapſi & erecti hiſtoria. 99
Hominis finis & felicitas, ſecundum Ariſtotelem, quæ? 31
Homini ſoli anceps natura tributa. 11
Homine nil imbecillius. 50
Honeſtas hominis finis. 132
Honeſtatis & turpitudinis cognitio neceſſaria. 34

I

INcontinentia in moralibus ſola, habitus vituperabilis. 153
Inimicitiæ apertæ minus quàm tacitæ nocent. 167
Intellectus, voluntatis prauius ſatelles. 34
Intellectus practicus dirigit notiones morales. 136.
Intellectiuæ partis ornamenta quinque, quæ? 27
Ira. 75. *quid?* 82. *quotuplex?* 82
Ira effectum. 80
Ira violentia quanta mala pariat? 83
Ira quinam maximè obnoxii? 82
Iudicii, quidam igniculi omnibus diuinitus inditi. 70
Iurantes in verba Doctoris reprehenduntur 70. 130. 166
Ius quid? 116. 117. 118. *norma ac menſura omnium rerum.* 118
Ius diſtributiuum in Geometrica, commutatiuum in Arithmetica proportione num conſiſtat? 68
Ius diſtributiuum à commutatiuo non differre. 154 & ſeqq.
Iuris cognitio cur neceſſaria? 114. 117. *vtilitas.* 115 116. 117

Iuris definitio Ariſtotelica reprehenditur. 68
Iuriſconſultorum dignitas. 94
Iuſticia quid? 114
Iuſticia virtutum omnium domina ac regina. 17. 27
Iuſticia an ex omnibus virtutibus ſola ſit ad alium, & alienum bonum affectet? 69
Iuſticiæ vtilitas. 84
Iuſticiam præſtare cæteris virtutibus non videri. 69
Iuuenilis ætas affectibus ſubiecta. 126

L

Labores neceſſarii, ac iniuncti. 107
Leontinus Gorgias ſapientiam ab eloquentia ſeparauit. 175
Lex quid? 114
Liberalitas efficit probos. 48
Liberi an omnes naturâ? 94
Literatores ſæpe philoſophiæ inexperti. 165
Lumen naturale immenſitates aërias penetrare nequit. 97
Luna humanæ felicitatis typus. 55
Lunæ virtus in hæc inferiora. 93
Luxus quàm noxius? 83

M

Magiſtri vnius in verba iurare, philoſopho indignum. 130
ad *Malum reſpiciens num quis operetur?* 65
Manſuetudo quid? 62
Marcus Varro. 41
Matrum bonarum praui filii. 32
Medici excellentis officium. 109
Medicorum ars cùm in theoria, tum in praxi conſiſtit. 43. & ſeq.
Medicina quid? 61
Mediocritas Ariſtotelica vaga & inconſtans refutata. 62. & ſeq.
Meditatio beatitudinis æternæ, miſeriarum dulce leuamen. 98

Mentis noſtræ dignitas ex oratione ſimplici non ornata ſpectatur. 171
Mentis noſtræ officium. 55
Minerua quomodo colenda? 94
Momi petulantia culpandi. 166
Monachorum cænobia vbi fere condita? 51
Monarchia prima autor Nimrod. 95
Morum magiſtri veteres qui? 131
Moralis diſciplina omnium optima. 72. *eò referre cuncta noſtra conſilia debemus.* ibid.
Moralis philoſophia quid? 31. *perturbationum moderatrix quo pacto?* 16
Moralis philoſophia effectus notabiles. 31
Moralis diſciplinæ fundamenta qualia locarit Ariſtoteles? 64
Moralis ſcientiæ fundamentum quod? 72. *finis quis?* 33
Mortem cur Martyres non auerſati? 78
Motio quid? 76
Motus actiuus & paſsiuus. 14
Mundi partes quomodo cohæreant? 191

N

NAtura tuetur libertatem. 98
Natura inſtinctu ad beatitudinem ſtimulamur, non ducimur. 57
Naturæ tenebris veterum ſolertiſsimi aberrarunt à via 39
Naturalia ſuſpendi, at non auferri poſſunt. 146
Nauis allegorica. 73
NaZianZenus ob carnis petulantiam perturbatus. 144
Neceſsitas acuit ignauiam. 80
Neſtoris prudentia. 126
Nihil tam incredibile, quod dicendo non fiat probabile. 203
Nobilitas vnde? 49

O

ODii obiectum 75. *definitio.* 78
Officium quid? 72. *eius fontes virtutes morales.* ibi.

Officiorum ſcientia præclara. 72
Omnia & nihil amplecti, paria. 174
Oleaſtri allegoria. 36
Opiniones pugnantes in quauis arte. 40
Opinionum de beatitudine differentium numerus quantus? 41
Opinionum varietas examinata quid profit? 42
Optimum, Pulcherrimum, Iucundiſsimum: Templo Apollinis inſcripta vocabula cur? 56
Oratio comta falſitati accommoda. 172
Oratio expreſſa mentis imago. 168. 171
Orationis ſimplicis maieſtas. 171
Orationis pigmenta philoſopho eſſe indigna. 164
Orationis lumen quam rebus vtilitatem afferat? 184
Otioſo nil miſerius. 107

P

PArs irrationalis an nihil agat inconſulta ratione? 65
Particularia, ad artis explicationem neceſſaria, practico non negligenda. 63. *qui negligit, prudentiam excludere videtur.* 160
Patauii ſecuritas in peſte Italiæ temeraria. 89
Pauli Apoſtoli de ſtimulo carnis querela. 143
Peccare quid ſit? 170
Peccare in eo, cuius ſe vult haberi magiſtrum, turpe. 201
Peccandi neceſsitatem an importet diuina prouidentia? 93
Peccandi opportunitate multos alioquin caſtos conſidiſſe 144
Pecudum more, pendendo ab aliis, duci non debemus. 70. 130
Penelope. 70
Periclis dicendi vis quanta? 173. 190
Pericula bellica cur cæteris grauiora? 109. & ſeq. *eadem tolerare, quam aggredi cur difficilius?* 110.

Peripatetici quem ordinem ſtatuant in operatione ad virtutem? 18
Peripateticorum & Stoicorum in ſtruenda felicitate diſtincta opera. 34 & ſeq.
Perturbationum medicina, moralis philoſopia. 31
Peſtis ciuitates Italiæ depaſcens. 88
Philoſophandi modus inutilis quis? 32
Philoſophandi forma Stoicorum antiqua, hodie concionatoribus demandata. 33
Philoſophus vnde æſtimandus? 87. *quæ tractare, quæ omittere debeat?* 33. *circa quæ occupetur?* 201
Philoſophi veri propria. 32
Philoſophi iudicio debent eſſe libero. 166. *res à natura abſconditas, non vocabula venantur* 165
Philoſophorum etiam eruditiſſima ingenia delirarunt. 100
Philoſophorum præclaræ ſententiæ non indigent ornamentis. 168
Philoſophia bene viuendi magiſtra. 57
Philoſophia cum quibus nam hominibus velit verſati? 188. *populares homines à ſe arcet.* 173
Philoſophia & Rhetor. inſitas habent inimicitias. 175
Philoſophia ars nautica, vitæ magiſtra. 83
Philoſophiam eloquentiâ non indigere. 164. *nedum Romanæ linguæ candorem admittere* ibid.
Philoſophiam actiuam tres ciuiles exercent artifices. 36
Pingui in corpore vt plurimum anima macra. 51
Plantæ ſyluestres cultu non gaudent. 170
Plato Academiam ſub craſſo aëre cur conſtruxerit? 51 *de moribus quomodo docuerit?* 131. *an eloquentiam cum ſapientia coniunxerit?* 195. 196. *cur oratoriè ſcripſerit?* 196 *non intelligendi ſolùm, ſed etiam dicendi grauiſſimus magiſter.* 78 *poëtas è ſua republ. eiecit.* 196 *contentor Rhetorum à Cicerone dictus* ibid.
Platonis dicendi ſuauitas quanta: 196
Platonis commentum de animarum deſcenſu quid innuat: 12. 14
Platonis ac Xenophontis diſſidium. 42

Pluralitas ſine numero quomodo explicetur? 103
Plus vltra. 98
Practici philoſophi olim qui? 37
Practica moralis ſpecies quæ? 44
Preces vitiorum non poſtrema medela. 85
Principium (rationis aliquod lumen) in nobis incorruptibile. 149. 150
Proportio non eſt quid reale, ſed logicum. 68
Prouidentiæ diuinæ infallibitas quomodo ſtet cum his, quæ liberè agimus? 90
Prudens eſſe poteſt quis in re vna, in altera non item. 97
Prudentia virtutum moderatrix. 27. *à ſapientia quantum diſtet?* 124. *Comparatur gubernatori nauis.* 73
Prudentiæ circumſcriptio per ὅρον & θέσιν. 123. & ſeq. *definitio, 125. diuiſio 127 129. gradus ac ſpecies diuerſa 137. prærequiſita. 135. propria. 84. officium.* 122
Prudentiâ vnâ non omnes virtutes copulatæ. 67
Pulchritudo quæ? 171
Pythis hiſtoria Tragica. 88

Q

Qualitates primæ quatuor. 152. *eadem ſex modis combinari poſſunt.* ibid.

R

Rancor quid? 82
Ratio non amittitur. 150
Rationis officium 53. 123
Rationis dictamen homini congenitum. 149
Rationis lumen in aliis magis, in aliis minus obſcuratum. 152
Rationis & appetitus imperium mutuum. 120 *conſenſus aut diſſidium quid pariant?* 140. 142
Rationis & appetitus vtriuſque recti combinatio an poſſibilis? 143. 147. vtriuſque corrupti combinatio item an poſsibilis? 147
Reges an quondam ſuffragio creati? 95
Res à philoſophia mutuantur Rhetores. 200
Rhetores ſtulticiæ ab Ariſtotele cur damnati? 190

S

SAgacitas. 128
Sanitas bonum fluxum. 50
Sapiens vt æſtimet res terrenas? 49
Sapientianum eo melior, quo ornatior? 192
Sapientia rectè ſcribendi principium ac fons. 188
Sardanapali voluptuoſitas depicta & perſtricta. 53. 54
Scoti vtut Parienſi ſtilo ſcribentis celebritas. 194
Scriptorem magnitudo voluminis haud commendat. 182
Senes plurima experti. 126
Sententia quid? 128
Sententiarum, non verborum inopia in philoſopho poteſt reprehendi. 200
Sermonis lenocinia in philoſophia pernicioſa. 164
Sermonem incultum dignitati philoſ. nihil detrahere. 172
Seruientes etiam liberi. 96
Seruitutem natura non eſſe contrariam. 96
Silenorum pictura philoſophia applicatur. 172
Sirenes fucato dicendi generi applicata. 172
Sirenum cantus. 106
Socrates à Xenophonte cur laudatus i 39. philoſophiam dicitur de cælo in terram deduxiſſe 87
Socratis percipuum ſtudium. 42. venenum. 32. eius diſcipulorum diſſidium. 42
Sol imago æterna beatitudinis. 55
Somni malum. 83
Speronus Speronius. 14
Spes vnde? 75. quid? 80
Spei fabula. 80
Spontaneum & non Spontaneum? 21. 22
Stoica philoſophia quouſque aſſurrexerit? 35. Chriſtianæ fidei inſignita oculo quantum profit? 36
Stoici ob particularia laudantur. 63
Subſtantia homini duplex. 10. 12
Sympathia & conſenſus rerum à poëtis quomodo efficta? 11
Synterefis, ſeu conſeruatio, Theologis quid? 67. 149

T

TEcum loquere, te audi: Ciceronis monitum. 149
Temperantia quid conferat? 84
Templo Delphico quæ tria inſcripta? 56
Terribilium extremum, quod natura extimeſcit, quodnam? 92
Theologia à quibus traxerit nomen? 189
Theologia affectiua. 34
Theologorum veterum aureum ſermonis flumen. 185
Theoria moralis ſpecies quot? 44
Theorici ac ſcientes philoſophiæ artifices olim qui? 37
Timantis pictoris calliditas quæ? 165
Timere ſimul & iraſci non poſſumus. 83
Timidorum natura. 110. 111
Tim 75. quid? 81. à fortitudine non omnis cohibetur. 108
Triunitas ſimili quodammodo adumbrata. 104

V

VAletudo bona ſuauiſſ. corp. condimentum. 51. *quatenus damnoſa?* ibid. *otio ac deſidia vitiari ſolet.* 93
Verba egent rebus? non ita viciſſim. 191
Veritas in puteo latens. 40
Veritas diſceptando difficillime inuenitur. 41
Veſpertilio neque mus neque volucris. 174
Villarum in agro Vincentino commoditas. 77
Vindicta. 75
Virtus Ariſtoteli quid? 60. 61. *eius definitionis cenſura.* ibid. & ſeqq.
Virtus autori noſtro quid? 60 62
Virtus an rectè dicatur ab Ariſtotele, mediocritas circa perturbationes & actiones? 61
Virtus habitus actiuus, non electiuus. 61. *non eſt combinatio rationis & appetitus vtriuſque recti.* 151
Virtutis moralis principia quæ? 17. & ſeq.
Virtutem conſiſtere in actione, fundamentum moralis ſcientiæ. 72
Virtute præditus & vitioſus quantum diſtent? 141 & ſeq.

Virtutes morales ad vitam contemplatiuam quatenus pertineant? 15
Virtutes comparantur nautis. 73
Virtutum proprium ſubiectum quod? 13
Virtutum an ſit connexio? 67. 133. 135. & ſeqq.
Virtutum ſeries ad quid vtilis? 84
Virtutibus animi nihil addi debere. 170
Viſionum varius recenſetur modus. 101. & ſeq.
Vita contemplatiua & actiua vtri parti animæ quaque inſit?
Vita hominis in actione conſiſtit. 10
Vita huius finis ac ſcopus. 15
Vitæ humanæ genus duplex. 122
Vitæ ſanitas longæua cui contingat? diſquiſitio Med. 93
Vitalis calor quomodo conſeruetur? 94
Vitium non eſt combinatio rationis & appetitus vtriuſque corrupti. 151
Vitia ſintne ægritudines incurabiles? 66
Viuendi ratio magis, quàm diſputandi diſcenda. 16
Vnum eſſe & tria quomodo quiuis poſſit? 103
Vocabula in philoſophia ſæpe fingenda. 165
Voluntas quid? 23
Voluntatis obiectum. 23
Voluptas vnde, & quid? 78
Voluptas hominis duplex. 106
Voluptas felicitati adiuncta quid? 30
Voluptas honeſtas actiones ſequens, felicitatis decorari titulo num poſſit? 59. 132
Voluptas quando naſcatur? 51. rationem quando ſupprimat? 53
Voluptatum appetentia & ſatietas qualis? 52
Vtilium rerum cura homini ingenita. 121
Vulpeculæ fabula. 183

X

Xerxis inhumanitas erga Pythen. 88

Z

Zenonis tormenta. 32

FINIS.

FLAVIVS QVAERENGVS POIAGHI COMES, & Canonicus Patauinus.

DE CONSILIARIO.

Google

LVDOVICO CAPPONIO
S. R. E.
Cardinali Eminentiſſimo

FLAVIVS QVERENGVS
POIAGHI COMES,
& Canonicus Patauinus.
S. D.

QVæ crebris amicorum exhortationibus de Conſiliario in literas retuli, Tibi, Cardinalis Eminētiſſime, Genio tutelari Dico: cui iam diu mea ſe addixit voluntas maximis deuincta beneficiis. Nec aliud nunc, quàm vt totus ſim tuus, deſiderat mens animi eximiò tuæ virtutis ſplendore capta. Vereor equidem ne hoc obſequio, dum librum tuo nomini inſcribo, meæ potius gloriæ velificari videar, quàm tuæ; quæ ſua nec mutuata luce fulget: vno tamen officio vtrique ſatisfactum auguror. Nam & flores incrementum capiunt, obuerſi dum ſolem venerantur. Hi etiam (ſpero) agelli noſtri fructus horarii, vegeti atque integri

permanebunt, quum tui ſplendoris radios debito cultu ſuſpicient. Vale. Patauij Cal. Ianuarij CIↃ DC XLII.

INDEX CAPITVM.

I.	DE Conſiliarij munere.	213
II.	De Conſilii definitio.	216
III.	Conſilij ſpecies.	218
IV.	Conſiliarij materia.	220
V.	Deliberatio de pecunia publica.	228
VI.	De pace & bello deliberatio.	229
VII.	De finium tutela conſultatio.	236
VIII.	Annonæ conſideratio.	237
IX.	Cogitatio de legibus.	238
X.	Leonis Baptiſtæ Alberti conſultandi modus.	240
XI.	Conſultationis difficultas.	246
XII.	Conſiliarij dotes.	248
XIII.	Conſiliarij vitia.	259
XIV.	Poſſitne Conſiliarij virtus ſine prudentia conſiſtere?	261
XV.	De Beneuolentia Conſiliarij in eum, cui conſilium datur.	264
XVI.	Sintne Conſiliarij viui, mortuis præferendi?	269

FLAVIVS QVÆRENGVS DE CONSILIARIO.

CAPVT PRIMVM.

De Conſiliarij munere.

DE Conſiliario perſpicua breuitate diſſerere animus eſt. Argumentum ſanè ſublimioribus ingenijs dignum, quod Ariſtoteles, aliique leuiter attigerunt; nos vſu non pœnitendo, veterumque monumentis excoluimus, quum de Principis ac Iudicis officio, eruditi iam ſatis egerint.

A triplici actu Prudentiæ; conſilio, iudicio, & præcepto, triplex manat officium, Conſiliarii, Iudicis, Principis.

Proprium vero munus eſt illud, quod ſemper conuenit, & ſine quo miniſter nullus eſſe poteſt, à quo etiam quilibet denominatur.

Ideoque Conſiliarius non dicitur Iudex, aut Princeps, etiam ſi aliquando iudicat & imperat. neque enim iudicare & præcipere eſt proprium munus conſiliarii, cùm id non illi conueniat ſemper; nec iudex dicitur conſiliarius, aut Princeps, ſi

aliquando conſultet, aut præcipiat.

Nec ſanè Princeps Conſiliarii aut iudicis titulum meretur, quamuis conſiliis ac Iudicis non rarò adſit; ſi nempe ſibi nimium de ſuo conſilio & iudicio pollicetur, vel timet ne ab omnibus decipiatur, & propterea fungitur omni officio; non diſſimilis Ariſtippo illi Socratico, qui omnium partium hiſtrio appellatus eſt ab antiquis. Ab iis enim quæ rarò fiunt, nec ſemper; nulla fit denominatio.

Proprium igitur munus Conſiliarii eſt conſulere; Iudicis iudicare, Principis præcipere.

Conſiliarii verò munus difficillimum eſt: tum ratione conſilii, tum eius qui conſilium dat, tum eius, cui conſilium datur.

Conſilium quippe ipſum eſt difficile, quandoquidem conſultatio eſt veritatis indagatio: veritas autem in profundo latet.

Accedit difficultas ab eo, qui conſilium dat: quia in illo exigitur eximia quædam prudentia, quæ pauciſſimis conceſſa.

Augetur magis difficultas ab eo, cui conſilium datur: quia plerumque Principes aſſentatoribus gaudent; nec vera, ſed iucunda dicentibus aures præbent.

Rebus autem præclaris proprium eſt,

vt ſint arduæ ; & vt prouerbio dicitur: Pulchra omnia, difficilia.

Animus tamen ab inſtituto neutiquam deflectendus. nam ſi vna ex parte conſilium eſt difficile; ex altera eſt poſſibile & neceſſarium.

Poſſibile eſt, quum natura nos ad veri inueſtigationem ſatis inſtruxerit. quorſum enim nobis hanc veritatis cupiditatem, niſi & facultatem indidiſſet; cum ea nihil fruſtra faciat, aut otioſum?

Conſilium eſt etiam neceſſarium. Nam qui vult finem, vult etiam neceſſario ea, quæ ferunt ad finem; de quibus conſilium initur. Proinde finis deſiderium, quod à mediorum adeptione diſcrepat, non inepte imperii ſolœciſmus vocatur.

Itaque Prudentiæ habitu, media ex fine inferuntur neceſſario; non aliter quàm ſcientiæ beneficio, ex cauſis neceſſariò effectus colligitur. Finis enim in moralibus veluti cauſa in ſpeculatiuis, Principii rationem habet. Nec deſunt viri prudentes veluti & Principes, qui Prudentibus vera proferentibus, aures commodent. in dubiis enim neceſſarium eſt alteri alterum prælucere.

CAPVT SECVNDVM.

Conſilij Definitio.

Conſilium porro, ex affinitate rerum quæ ſignificantur, variè accipitur. Nimirum rationem aliquando notat, quæ eſt vis conſultandi; aliquando Prudentiam, quæ eſt rectus & confirmatus habitus ipſius rationis; nunc actum ipſum rationis directum ad regulam Prudentiæ; nunc id quod à ratione ſtatuitur; modò etiam electionem ipſam; modò ipſum conſulentium conſeſſum, quem appellamus Senatum.

Atquè hæc tam varia nominis vſurpatio, oritur ex affinitate rerum, quæ ſignificantur.

Primò enim, quod ſibi quiſque bonum opinatur, id naturaliter appetit. Secundò per conſilium inquirit & inuenit ea, quæ agere, aut fugere debet, vt bonum illud aſſequi poſſit. Tertiò iudicat, quodnam ex mediis inuentis ſit magis proportionatum fini, quem aſſequi vult. Quartò præcipit, vt iudicatum eligatur. Quintò eligit iudicatum. Sextò imperat electum executioni mandari. Vltimo agit.

Ita opinionem appetitio ſequitur; appetitionem conſultatio: conſultationem iu-

dicium: iudicium præceptum de eligendo: præceptum electio : electionem imperium de medio electo executioni mandando: Imperium actio.

At quoniam in conſiliis ratio obtinet Principatum; ideo fit, vt conſilium præcipuè dicatur de ratione; de Prudentia, quæ eſt rectus habitus illius; de vſu rectæ rationis, qui manat à ratione, & à prudentia ſimul; & de eo, quod à ratione ſtatuitur.

Noſtræ verò conſiderationis eſt conſilium, quod eſt rectæ rationis vſus.

Inquiſitio eſt genus, quod non ſolum de conſilio; ſed etiam de ſcientia prædicatur. Nam & conſilium eſt inquiſitio veri, & ſcientia eſt inquiſitio veri.

Hoc tamen diſcrimine; quod ſcientia verum inquirit vt ſciamus; conſilium verum inquirit vt agamus; conſultationis enim finis eſt actio.

Inquiſitio autem ſcientifica vt diuerſis finibus, ita & obiectis ab inquiſitione conſultrice differt. Nam verum quod eſt obiectum ſcientiæ, dicit conformitatem potentiæ cognoſcentis ad rem cognitam. Sed verum conſultationis eſt illud, quod eſt vtile: ſicut verum in iure eſt illud, quod eſt iuſtum, & verum eſt illud in Medicina, quod eſt ſalubre.

Quandoquidem conſultationi propoſita eſt vtilitas, ſicut Iuriſprudentiæ iuſtitia, & Medicinæ ſanitas.

Vtilia verò dicuntur ea, quibus ad aliud vti poſſumus, ac ſi vtibilia diceres.

Cum ergo conſilium ſit inquiſitio eius quod eſt vtile, conſtat vtique non de fine, ſed conſultari ſolere de iis, quæ conferunt, & ſunt vtilia ad aliquem finem; adeoque conſilium eſſe de iis, quæ ad aliud referuntur.

CAPVT TERTIVM.

Conſilij Species.

Conſilium hoc duplex eſt. Vnum ſibi, alterum aliis proſpicit. Hoc extrinſecum & aduentitium dici poteſt ratione Principis, cui conſilium datur, de quo præcipua nobis hic erit cura; ſiquidem ex ipſo, conſiliarii officium emanat.

Eſt autem eiuſmodi conſilium inquiſitio eorum, quæ ſunt ad finem. ea verò inquiſitio, quoniam vertitur inter dantem, & eum cui conſilium datur, conſilium erit medium quod, profectum ab eo, qui conſilium dat; proficiſcitur ad eum, cui conſilium datur: vbi terminus à quo eſt Conſiliarius, terminus ad quem eſt Princeps.

Conſilium hoc publicum eſt, vel priuatum: vnde & Conſiliarii publici, & priuati; idque nunc pacis, nunc belli tempore, iique vrbani, vel militares.

Sed et materiæ ratione conſilium variat, nunc enim in bonis animi, nunc in bonis corporis, nunc in bonis fortunæ; virtutibus nimirum confirmandis, aut vitiis tollendis, contraria mala auertendo: aut fortunæ Imperio ſcilicet conſeruando & amplificando; autoritate confirmanda; calumniis euitandis; honoribus magiſtratus; amicitia; ſeditionibus; pecuniis; libertate, vis eius elucet.

Cùm igitur inueſtigatio eorum quæ ad finem tendunt, vertitur inter dantem, & eum cui datur conſilium, noſtra hæc omnis diſputatio, in tribus præcipuè verſabitur; nimirum quænam ſint ea, quæ in deliberationem veniant; qualis eſſe debeat is, qui conſilium daturus eſt; & quodnam eius officium, cui conſilium datur. ea namque horum eſt ſocietas, vt ſine iis conſiliarii officium perfectè intelligi non poſſit. ſed vt ſingula perſequamur, primùm de rebus, tum de perſonis agemus, Imperatoris exemplum in Inſtitutionibus ſecuti.

CAPVT QVARTVM.

Conſiliarii Materia.

VIdeamus igitur quæ nam in conſultationem cadunt. Huius generis neutiquam eſſe, quæ fieri non poſſunt, certum eſt. Nam conſulere eſt inquirere, quid maximè agendum, vt finem propoſitum aſſequamur; Quare homines, qui ſani ſunt, non conſultant, an exhaurire debeant oceanum; an cœlum digito attingere: ſtulti enim & mente capti eſt deliberare, ſit ne id facturus, quod fieri nullo modo poteſt.

Nec tamen omnia quæ fiunt in conſultationem veniunt, nam quæ fiunt neceſſitate, ſiue ſint Mathematica, ſiue naturalia, conſilium non admittunt.

Conſultatio enim de iis eſt, quæ poſſunt fieri, & non fieri; quæ verò fiunt neceſſitate, non ſunt huiuſmodi, ſed neceſſe eſt ea ita eſſe. Quare in Mathematicis nemo conſultat, an ex bis ſeptem velit quatuordecim fieri, vel ſi ab æqualibus æqualia demat, ea quæ remanent ſint æqualia. ſed neque ea quæ natura fiunt conſultationi conueniunt. Horum alia ſemper eodem modo eueniunt, vt ortus

atque occaſus ſiderum, vt anni tempora, quæ certum ordinem ſeruant: alia non ſemper eodem modo fiunt, vt æſtus, frigora, imbres, quæ certum non habent nec definitum ordinem, de quibus ſiue ordinem ſeruent, ſiue non, nemo deliberat. Nam conſultatio eſt de iis, quæ poſſunt fieri à nobis. At quæ fiunt à natura, à nobis fieri non poſſunt, & quod ad conſultationem attinet, perinde eſt, fieri non poſſe, & à nobis fieri non poſſe.

Sed neque de iis, quæ caſu contingunt, eſt conſultatio. conſilium enim peruenit à ratione; rectus ſcilicet ipſius rationis vſus. ſed fortuita non proueniunt à ratione; ſecus enim non eſſent fortuita. Homo igitur ſanæ mentis non conſultat, ſit ne theſaurum inuenturus. Hominum nihilominus inſania ita audax eſt, vt non deſint qui profiteantur ſe tenere artem inueniendi theſauros latentes.

Et nos Romæ profectò meminimus, quendam latentis metalli indicium ſibi promittentem, certo quodam virgulæ oleaginæ vſu: quamuis non ita hoc fabuloſum metallariis in Germania, vbi virgultis è corylo certa ratione aptatis ea omnino dos eſt Sed qui audiunt illos, laborant morbo poſcẽte Anticyram, & ad agnatos & gẽtiles, vt eſt in prouerbio, ſunt deducẽdi.

Si conſultatio itaque locum non h[illegible] in rebus, quæ neceſſitate, natura, for[illegible]toque fiunt; in iis vtique valebit, quæ [illegible] homine proficiſcuntur, & quorum pri[illegible]cipium & quaſi fons eſt animus huma[illegible]nus.

Etenim conſultatio eſt de iis, quæ poſ[illegible]ſunt fieri; De iis autem, quæ fiunt neceſſi[illegible]tate aut fortuna, homines non deliberar[illegible] iam conſtitutum eſt. Conſultatio itaqu[illegible] ſuſcipitur de iis, quæ ab homine fiunt. Quæcũque enim fiunt (Ariſtotele autore) referuntur ad neceſſitatem mathematicam, vel naturalem, fortunam, & hominem; præter quas alia non poteſt excogitari cauſa.

Omnia tamen, quæ ab homine proueniunt, non ſubiiciuntur deliberationi. Iſta enim quum ſint præterita, præſentia, vel futura; de præteritis nulla eſt conſultatio; ſiquidem quiſquis deliberat: de iis cogitat, quæ ſunt agenda. quod enim actum eſt, fieri non poteſt, quin actum ſit. Nec de præſentibus, hæc enim neceſſaria ſunt, qualia vt diximus in conſultationem non cadunt. ſed neque de omnibus futuris: hæc enim aut certa ſunt; aut incerta. Illa vel comprehenduntur artibus certis, quæ ſemper aſſequuntur ſuum finem; vel ſenſui patent; hæc vel continentur artibus incertis,

quæ interdum ſuo fine fruſtrantur, vel alia via obſcura percipiuntur. Artes certæ quæ ſemper aſſequũtur ſuum finem (ſunt exempli gratia) ars ſaltandi, canendi, pulſandi citharam, rectè loquendi, item numerandi, metiendi, & aliæ quæ Mathematicæ appellantur. Artes incertæ quæ interdum ſuo fine fruſtrãtur, ſunt (exempli gratia) ars medendi, nauigandi, agricolendi; item ars perſuadendi, quæ Rhetorica dicitur; præterea militaris ſeu bellica; & illa, quæ his omnibus præeſt, quæ dicitur ſcientia gubernandi Rempublicam, ſiue ars ciuilis & politica.

Certa quidem, ſiue ea certis ac exquiſitis artibus tradantur, ſiue ſint ſenſui manifeſta, non egent conſultatione. Nam qui aliquid certò ſciunt, non adeunt conſultorem, aut oraculum Pythium. quare neque de litteris, aut de lineis ſuſcipitur cõſultatio, quorum certus vſus eſt atque doctrina; neque de iis, quæ ſenſui ſunt manifeſta, vt an hic ſit panis, vel an confectus ſit, vt oportet.

Nec de omnibus tamen incertis eſt conſultatio. nam incerta, quæ incertis artibus traduntur, vel alia obſcura via percipiuntur, aut ad nos pertinent, aut ad alienos, & longinquos homines penitus à noſtro commercio remotos. Ea quæ ni-

hil attinent ad nos, neque ad noſtrum conſilium ſpectant; Quę verò ad nos pertinet, ac plerumque eueniunt, conſilium admittunt: non tamen de omnibus incertis, quæ ad nos pertinent, & plerunque eueniunt. nam ex his alia extrema ſunt, ad quæ cœtera diriguntur; alia ſunt, quædam media, per quæ extremum illud aſſequi conamur. extremum appellatur finis, qui propter ſe eſt expetendus, & cuius cauſa cœtera fiunt. ſed finis non cadit in conſultationem. Nam ſuus cuique ſtatutus eſt finis: ea verò, quæ iam ſtatuta ſunt, non egent conſultatione, quæ ideo ſuſcipitur, vt aliquid ſtatuatur; quod autem ſtatutum eſt, de eo nihil attinet conſultare. Itaque nec Orator deliberat, ſitne perſuaſurus; nec Imperator ſitne victor futurus; ſed quibus mediis hic ad victoriam, ille ad perſuadendum accommodatis aliquid obtinere valeat; ſique plura conſilio inuenta fuerint, Imperator & Orator iudicat, quodnam ex inuentis ad ſuum finem conſequendum ſit vſui futurum, denuoque conſultat per quodnam aliud medium, poſſit obtineri medium proprium inuentum, & iudicatum de vno in aliud progreſſus, donec perueniat ad primam cauſam, à qua incipit operatio. Ita ſi de reportanda ab hoſtibus victoria cogitatur, quę eſt finis ſcien-

tiæ

tiæ militaris, ſtatim aduertimus opus eſſe militum copiis, mox inquirimus maritimis ne an terreſtribus: hiſque equeſtribus an pedeſtribus, an vtriſque, & quo equitum, quo peditum genere, quo numero opus fuerit, quis ſingulis generibus, quis dux vniuerſis præficiendus; deinde pecuniis opus eſſe intelligimus, quibus & ſtipendia militibus, & cibaria, & inſtrumenta rei bellicæ comparentur. Pecunias vt conficiamus, aut publica vectigalia augemus aut tributum exigimus. Itaque vt militum copias paremus, quod eſt medium inuentum, prima ſtatim deliberatione ante omnia tributum ciuibus imperamus. Quod medium inuentione quidem poſtremum, ſed executione primum eſt.

Ex quibus colligitur in conſulendo ab extremo ad initium; in agendo ab initio ad extremum nos redire.

Quemadmodum enim progreſſus conſilii, eſt à fine iam in mente ſtatuto, ad inuentionem mediorum; ita progreſſus actionis à mediis iam inuentis ac in vſu poſitis, ad veram ipſius finis adeptionem inſtituitur.

Hunc autem in conſulendo regreſſum ab extremo ad initium, perſimilem eſſe Ariſtoteles dicebat Mathematicæ reſolutioni. In Mathematicis enim ſumpta con-

cluſione, quam demonſtrandam ſuſcepimus, ea primum accipimus, quæ proximè ad hanc confirmandam faciunt; deinde alia, quæ porro antecedunt, donec veniamus ad principium, quod eſt indemonſtrabile. Ita hoc loco concluſionis vice eſt victoria: ab hac procedimus à militum copiis ad pecunias, à pecuniis ad tributum ſiue vectigal, quo pecuniæ conquiruntur; Vectigal itaque primum erit principium indemonſtrabile, in quod de victoria concluſio reſoluitur. Adeò Poëta verè: ô ciues ciues quærenda pæcunia primum: non ergo de fine, quamuis ſpectet ad nos, ſed de mediis deliberatio ſuſcipitur.

Nec tamen de omnibus. nam quæ ad finem conferunt, vel in noſtra poteſtate ſunt, vel ab ea diſſident.

Quæ extra noſtram poteſtatem ſunt, minimè in conſultationem veniunt, imò tam diu deliberamus, quam diu id à nobis fieri poſſe, quod eſt ad finem, ſperamus. ſi quis enim pro obtinenda victoria pecuniis opus eſſe intelligat, nec vllam conficiendæ pecuniæ rationem inuenire poteſt, à conſultatione ceſſat, & à cogitatione de victoria.

Quæ vero fieri poſſunt à nobis, cadunt in conſultationem noſtram; qualia ſunt,

quæ vel per nos metipſos, vel per amicos agimus, vel per quoſcunque alios, qui in noſtra poteſtate ſunt. Omnia tamen alieno conſilio neutiquam indigent. horum enim quædam exigua ſunt, & vilia; alia magna & difficilia; Ad exigua operæ precium non eſt, alios in conſilium vocare. ſed conſilium quæremus in magnis & arduis vbi nobis met diffidimus, quaſi ſoli ſatis perſpicere non valeamus, quid factu ſit optimum. Cuiuſmodi ſunt quæ ad Reipub. adminiſtrationem pertinent, quæ præclara ingenia, neglecta rei familiaris cura, ſollicitudine ſua digna iudicant.

Ac licet priuatis in rebus aliorum etiam conſilio vtamur, maior tamen eius publicis in rebus incumbit neceſſitas.

Quod enim difficilius eſt, magis conſilium exigit. At difficilius eſt ciuitatem regere, quam familiam.

Videamus igitur quænam vt plurimum in conſiliis agitantur.

Hæc vt facilius inueniamus, conſiderare oportet, quam ob cauſam inſtitutæ ſocietates hominum, quæ ciuitates appellantur.

Societates inter homines, boni alicuius gratia contractas nemini dubium eſt, ſiquidem omnis actio, vt autor Ariſtoteles, bonum quoddam expetere videtur. Ciuitas

verò fuit inuenta maximi boni cauſa, cùm ciuitas omnium ſocietatum ſit maximà. Atque hoc ſummum maximumque bonum, cuius gratia ciuitas eſt introducta; non eſt aliud, quàm beata ciuium vita, affluens rebus omnibus ad benè beateque viuendum neceſſariis. Hæc verò ea ſunt, quæ in conſiliis proponuntur, ſine quibus ciues non poſſunt commode ac tutò viuere; Opes & pecunia publica, quam dicere poſſumus patrimonium ciuitatis: virtus militaris qua prohibentur hoſtium iniuriæ: finium tuendorum tutela: ne incertis ſedibus vagari cogamur: Annonæ vbertas; leges tandem ac Iura, quibus ciues in officio continentur. Si enim eo quem indicauimus progreſſu, de pecuniis agitur, conſultamus etiam de vectigalibus & tributis, quibus præcipuè pecunia publica paratur; ſi de virtute militari, conſultamus etiam de bello, in quo virtus militaris ſe exercet, de fœdere, quo eadem virtus vires auget, de tranquillitate, pace, & induciis; quibus eadem virtus à laboribus feriatur. ſi de ratione finium tuendorum conſultamus, etiam de vrbis agrique cuſtodia, quæ hinc dependet. ſi de Annona & victui neceſſariis conſultamus, etiam de iis, quæ redundant, exportandis atque vendendis; quæ deſunt importan-

dis atque emendis. vt ſic Annona & quidquid confert ad annuum victum rectè comparetur. Cum de Iuribus ac legibus agitur, conſultamus etiam de iiſdem ferendis aut abrogandis. Nam bonæ leges non iuuant, niſi ferantur & promulgentur: malæ nocere non ceſſant, niſi abrogentur. His quinque, omnis conſiliorum materia continetur. Horum rationem qui longo rerum vſu accurate nouerit, cætera etiam quæ inciderint facilè intelliget, ac de iis ſine magno negotio deliberabit.

CAPVT QVINTVM.

Deliberatio de Pecunia publica.

ET quidem vbi de pecuniis agitur, conſiliarius noſſe debet reditus & ſumptus ciuitatis. Reditus: vt ſi quis negligentia prætermiſſus fuerit, àddatur, ſi quis tenuior ſit, augeatur. ſumptus; vt ſuperflui, & non neceſſarii tollantur, & maiores, quam opus fuerit, minuantur.

Duplex autem ratio eſt implendi ærarii, & pecuniæ amplificandæ. Augere reditus & minuere ſumptus, Hinc non temere vulgò dicitur, quod Parſimonia eſt maximum vectigal.

At qui de amplificanda pecunia conſul-

CAPVT SECVNDVM.

Conſilij Definitio.

COnſilium porro, ex affinitate rerum quæ ſignificantur, variè accipitur. Nimirum rationem aliquando notat, quæ eſt vis conſultandi; aliquando Prudentiam, quæ eſt rectus & confirmatus habitus ipſius rationis; nunc actum ipſum rationis directum ad regulam Prudentiæ; nunc id quod à ratione ſtatuitur; modò etiam electionem ipſam; modò ipſum conſulentium conſeſſum, quem appellamus Senatum.

Atquè hæc tam varia nominis vſurpatio, oritur ex affinitate rerum, quæ ſignificantur.

Primò enim, quod ſibi quiſque bonum opinatur, id naturaliter appetit. Secundò per conſilium inquirit & inuenit ea, quæ agere, aut fugere debet, vt bonum illud aſſequi poſſit. Tertiò iudicat, quodnam ex mediis inuentis ſit magis proportionatum fini, quem aſſequi vult. Quartò præcipit, vt iudicatum eligatur. Quintò eligit iudicatum. Sextò imperat electum executioni mandari. Vltimo agit.

Ita opinionem appetitio ſequitur; appetitionem conſultatio; conſultationem iu-

dicium: iudicium præceptum de eligendo: præceptum electio : electionem imperium de medio electo executioni mandando: Imperium actio.

At quoniam in conſiliis ratio obtinet Principatum; ideo fit, vt conſilium præcipuè dicatur de ratione; de Prudentia, quæ eſt rectus habitus illius; de vſu rectæ rationis, qui manat à ratione, & à prudentia ſimul; & de eo, quod à ratione ſtatuitur.

Noſtræ verò conſiderationis eſt conſilium, quod eſt rectæ rationis vſus.

Inquiſitio eſt genus, quod non ſolum de conſilio; ſed etiam de ſcientia prædicatur. Nam & conſilium eſt inquiſitio veri, & ſcientia eſt inquiſitio veri.

Hoc tamen diſcrimine; quod ſcientia verum inquirit vt ſciamus; conſilium verum inquirit vt agamus; conſultationis enim finis eſt actio.

Inquiſitio autem ſcientifica vt diuerſis finibus, ita & obiectis ab inquiſitione conſultrice differt. Nam verum quod eſt obiectum ſcientiæ, dicit conformitatem potentiæ cognoſcentis ad rem cognitam. Sed verum conſultationis eſt illud, quod eſt vtile: ſicut verum in iure eſt illud, quod eſt iuſtum, & verum eſt illud in Medicina, quod eſt ſalubre.

Quandoquidem conſultationi propoſita eſt vtilitas, ſicut Iuriſprudentiæ iuſtitia, & Medicinæ ſanitas.

Vtilia verò dicuntur ea, quibus ad aliud vti poſſumus, ac ſi vtibilia diceres.

Cum ergo conſilium ſit inquiſitio eius quod eſt vtile, conſtat vtique non de fine, ſed conſultari ſolere de iis, quæ conferunt, & ſunt vtilia ad aliquem finem; adeoque conſilium eſſe de iis, quæ ad aliud referuntur.

CAPVT TERTIVM.

Conſilij Species.

Conſilium hoc duplex eſt. Vnum ſibi, alterum aliis proſpicit. Hoc extrinſecum & aduentitium dici poteſt ratione Principis, cui conſilium datur, de quo præcipua nobis hic erit cura; ſiquidem ex ipſo, conſiliarii officium emanat.

Eſt autem eiuſmodi conſilium inquiſitio eorum, quæ ſunt ad finem. ea verò inquiſitio, quoniam vertitur inter dantem, & eum cui conſilium datur, conſilium erit medium quod, profectum ab eo, qui conſilium dat; proficiſcitur ad eum, cui conſilium datur: vbi terminus à quo eſt Conſiliarius, terminus ad quem eſt Princeps.

Conſilium hoc publicum eſt, vel priuatum : vnde & Conſiliarii publici, & priuati; idque nunc pacis, nunc belli tempore, iique vrbani, vel militares.

Sed et materiæ ratione conſilium variat, nunc enim in bonis animi, nunc in bonis corporis, nunc in bonis fortunæ; virtutibus nimirum confirmandis, aut vitiis tollendis, contraria mala auertendo: aut fortunæ Imperio ſcilicet conſeruando & amplificando; autoritate confirmanda; calumniis euitandis; honoribus magiſtratus; amicitia; ſeditionibus; pecuniis; libertate, vis eius elucet.

Cùm igitur inueſtigatio eorum quæ ad finem tendunt, vertitur inter dantem, & eum cui datur conſilium, noſtra hæc omnis diſputatio, in tribus præcipuè verſabitur; nimirum quænam ſint ea, quæ in deliberationem veniant; qualis eſſe debeat is, qui conſilium daturus eſt; & quodnam eius officium, cui conſilium datur. ea namque horum eſt ſocietas, vt ſine iis conſiliarii officium perfectè intelligi non poſſit. ſed vt ſingula perſequamur, primùm de rebus, tum de perſonis agemus, Imperatoris exemplum in Inſtitutionibus ſecuti.

CAPVT QVARTVM.

Conſiliarii Materia.

VIdeamus igitur quæ nam in conſultationem cadunt. Huius generis neutiquam eſſe, quæ fieri non poſſunt, certum eſt. Nam conſulere eſt inquirere, quid maximè agendum, vt finem propoſitum aſſequamur; Quare homines, qui ſani ſunt, non conſultant, an exhaurire debeant oceanum; an cœlum digito attingere: ſtulti enim & mente capti eſt deliberare, ſit ne id facturus, quod fieri nullo modo poteſt.

Nec tamen omnia quæ fiunt in conſultationem veniunt, nam quæ fiunt neceſſitate, ſiue ſint Mathematica, ſiue naturalia, conſilium non admittunt.

Conſultatio enim de iis eſt, quæ poſſunt fieri, & non fieri; quæ verò fiunt neceſſitate, non ſunt huiuſmodi, ſed neceſſe eſt ea ita eſſe. Quare in Mathematicis nemo conſultat, an ex bis ſeptem velit quatuordecim fieri, vel ſi ab æqualibus æqualia demat, ea quæ remanent ſint æqualia. ſed neque ea quæ natura fiunt conſultationi conueniunt. Horum alia ſemper eodem modo eueniunt, vt ortus

atque occaſus ſiderum, vt anni tempora, quæ certum ordinem ſeruant: alia non ſemper eodem modo fiunt, vt æſtus, frigora, imbres, quæ certum non habent nec definitum ordinem, de quibus ſiue ordinem ſeruent, ſiue non, nemo deliberat. Nam conſultatio eſt de iis, quæ poſſunt fieri à nobis. At quæ fiunt à natura, à nobis fieri non poſſunt, & quod ad conſultationem attinet, perinde eſt, fieri non poſſe, & à nobis fieri non poſſe.

Sed neque de iis, quæ caſu contingunt, eſt conſultatio. conſilium enim peruenit à ratione; rectus ſcilicet ipſius rationis vſus. ſed fortuita non proueniunt à ratione; ſecus enim non eſſent fortuita. Homo igitur ſanæ mentis non conſultat, ſit ne theſaurum inuenturus. Hominum nihilominus inſania ita audax eſt, vt non deſint qui profiteantur ſe tenere artem inueniendi theſauros latentes.

Et nos Romæ profectò meminimus, quendam latentis metalli indicium ſibi promittentem, certo quodam virgulæ oleaginæ vſu: quamuis non ita hoc fabuloſum metallariis in Germania, vbi virgultis è corylo certa ratione aptatis ea omnino dos eſt Sed qui audiunt illos, laborant morbo poſcẽte Anticyram, & ad agnatos & gẽtiles, vt eſt in prouerbio, ſunt deducẽdi.

Si conſultatio itaque locum non habet in rebus, quæ neceſſitate, natura, fortuitoque fiunt; in iis vtique valebit, quæ ab homine proficiſcuntur, & quorum principium & quaſi fons eſt animus humanus.

Etenim conſultatio eſt de iis, quæ poſſunt fieri; De iis autem, quæ fiunt neceſſitate aut fortuna, homines non deliberare iam conſtitutum eſt. Conſultatio itaque ſuſcipitur de iis, quæ ab homine fiunt. Quæcũque enim fiunt (Ariſtotele autore) referuntur ad neceſſitatem mathematicam, vel naturalem, fortunam, & hominem; præter quas alia non poteſt excogitari cauſa.

Omnia tamen, quæ ab homine proueniunt, non ſubiiciuntur deliberationi. Iſta enim quum ſint præterita, præſentia, vel futura; de præteritis nulla eſt conſultatio; ſiquidem quiſquis deliberat: de iis cogitat, quæ ſunt agenda. quod enim actum eſt, fieri non poteſt, quin actum ſit. Nec de præſentibus, hæc enim neceſſaria ſunt, qualia vt diximus in conſultationem non cadunt. ſed neque de omnibus futuris: hæc enim aut certa ſunt; aut incerta. Illa vel comprehenduntur artibus certis, quæ ſemper aſſequuntur ſuum finem; vel ſenſui patent; hæc vel continentur artibus incertis,

quæ interdum ſuo fine fruſtrantur, vel alia via obſcura percipiuntur. Artes certæ quæ ſemper aſſequũtur ſuum finem (ſunt exempli gratia) ars ſaltandi; canendi, pulſandi citharam, rectè loquendi, item numerandi, metiendi, & aliæ quæ Mathematicæ appellantur. Artes incertæ quæ interdum ſuo fine fruſtrãtur, ſunt (exempli gratia) ars medendi, nauigandi, agricolendi; item ars perſuadendi, quæ Rhetorica dicitur; præterea militaris ſeu bellica; & illa, quæ his omnibus præeſt, quæ dicitur ſcientia gubernandi Rempublicam, ſiue ars ciuilis & politica.

Certa quidem, ſiue ea certis ac exquiſitis artibus tradantur, ſiue ſint ſenſui manifeſta, non egent conſultatione. Nam qui aliquid certò ſciunt, non adeunt conſultorem, aut oraculum Pythium. quare neque de litteris, aut de lineis ſuſcipitur cõſultatio, quorum certus vſus eſt atque doctrina; neque de iis, quæ ſenſui ſunt manifeſta, vt an hic ſit panis, vel an confectus ſit, vt oportet.

Nec de omnibus tamen incertis eſt conſultatio. nam incerta, quæ incertis artibus traduntur, vel alia obſcura via percipiuntur, aut ad nos pertinent, aut ad alienos, & longinquos homines penitus à noſtro commercio remotos. Ea quæ ni-

hil attinent ad nos, neque ad noſtrum conſilium ſpectant; Quę verò ad nos pertinet, ac plerumque eueniunt, conſilium admittunt: non tamen de omnibus incertis, quæ ad nos pertinent, & plerunque eueniunt. nam ex his alia extrema ſunt, ad quæ cœtera diriguntur; alia ſunt, quædam media, per quæ extremum illud aſſequi conamur. extremum appellatur finis, qui propter ſe eſt expetendus, & cuius cauſa cœtera fiunt. ſed finis non cadit in conſultationem. Nam ſuus cuique ſtatutus eſt finis: ea verò, quæ iam ſtatuta ſunt, non egent conſultatione, quæ ideo ſuſcipitur, vt aliquid ſtatuatur; quod autem ſtatutum eſt, de eo nihil attinet conſultare. Itaque nec Orator deliberat, ſitne perſuaſurus; nec Imperator ſitne victor futurus; ſed quibus mediis hic ad victoriam, ille ad perſuadendum accommodatis aliquid obtinere valeat; ſique plura conſilio inuenta fuerint, Imperator & Orator iudicat, quodnam ex inuentis ad ſuum finem conſequendum ſit vſui futurum, denuoque conſultat per quodnam aliud medium, poſſit obtineri medium proprium inuentum, & iudicatum de vno in aliud progreſſus, donec perueniat ad primam cauſam, à qua incipit operatio. Ita ſi de reportanda ab hoſtibus victoria cogitatur, quę eſt finis ſcientiæ

tiæ militaris, ſtatim aduertimus opus eſſe militum copiis, mox inquirimus maritimis ne an terreſtribus: hiſque equeſtribus an pedeſtribus, an vtriſque, & quo equitum, quo peditum genere, quo numero opus fuerit, quis ſingulis generibus, quis dux vniuerſis præficiendus; deinde pecuniis opus eſſe intelligimus, quibus & ſtipendia militibus, & cibaria, & inſtrumenta rei bellicæ comparentur. Pecunias vt conficiamus, aut publica vectigalia augemus aut tributum exigimus. Itaque vt militum copias paremus, quod eſt medium inuentum, prima ſtatim deliberatione ante omnia tributum ciuibus imperamus. Quod medium inuentione quidem poſtremum, ſed executione primum eſt.

Ex quibus colligitur in conſulendo ab extremo ad initium; in agendo ab initio ad extremum nos redire.

Quemadmodum enim progreſſus conſilii, eſt à fine iam in mente ſtatuto, ad inuentionem mediorum; ita progreſſus actionis à mediis iam inuentis ac in vſu poſitis, ad veram ipſius finis adeptionem inſtituitur.

Hunc autem in conſulendo regreſſum ab extremo ad initium, perſimilem eſſe Ariſtoteles dicebat Mathematicæ reſolutioni. In Mathematicis enim ſumpta con-

cluſione, quam demonſtrandam ſuſcepimus, ea primum accipimus, quæ proximè ad hanc confirmandam faciunt; deinde alia, quæ porro antecedunt, donec veniamus ad principium, quod eſt indemonſtrabile. Ita hoc loco concluſionis vice eſt victoria: ab hac procedimus à militum copiis ad pecunias, à pecuniis ad tributum ſiue vectigal, quo pecuniæ conquiruntur; Vectigal itaque primum erit principium indemonſtrabile, in quod de victoria concluſio reſoluitur. Adeò Poëta verè: ô ciues ciues quærenda pæcunia primum: non ergo de fine, quamuis ſpectet ad nos, ſed de mediis deliberatio ſuſcipitur.

Nec tamen de omnibus. nam quæ ad finem conferunt, vel in noſtra poteſtate ſunt, vel ab ea diſſident.

Quæ extra noſtram poteſtatem ſunt, minimè in conſultationem veniunt, imò tam diu deliberamus, quam diu id à nobis fieri poſſe, quod eſt ad finem, ſperamus. ſi quis enim pro obtinenda victoria pecuniis opus eſſe intelligat, nec vllam conficiendæ pecuniæ rationem inuenire poteſt, à conſultatione ceſſat, & à cogitatione de victoria.

Quæ vero fieri poſſunt à nobis, cadunt in conſultationem noſtram; qualia ſunt,

quæ vel per nos metipſos, vel per amicos agimus, vel per quoſcunque alios, qui in noſtra poteſtate ſunt. Omnia tamen alieno conſilio neutiquam indigent. horum enim quædam exigua ſunt, & vilia; alia magna & difficilia; Ad exigua operæ precium non eſt, alios in conſilium vocare. ſed conſilium quæremus in magnis & arduis vbi nobíſmet diffidimus, quaſi ſoli ſatis perſpicere non valeamus, quid factu ſit optimum. Cuiuſmodi ſunt quæ ad Reipub. adminiſtrationem pertinent, quæ præclara ingenia, neglecta rei familiaris cura, ſollicitudine ſua digna iudicant.

Ac licet priuatis in rebus aliorum etiam conſilio vtamur, maior tamen eius publicis in rebus incumbit neceſſitas.

Quod enim difficilius eſt, magis conſilium exigit. At difficilius eſt ciuitatem regere, quam familiam.

Videamus igitur quænam vt plurimum in conſiliis agitantur.

Hæc vt facilius inueniamus, conſiderare oportet, quam ob cauſam inſtitutæ ſocietates hominum, quæ ciuitates appellantur.

Societates inter homines, boni alicuius gratia contractas nemini dubium eſt, ſiquidem omnis actio, vt autor Ariſtoteles, bonum quoddam expetere videtur. Ciuitas

verò fuit inuenta maximi boni cauſa, cùm ciuitas omnium ſocietatum ſit maximà. Atque hoc ſummum maximumque bonum, cuius gratia ciuitas eſt introducta; non eſt aliud, quàm beata ciuium vita, affluens rebus omnibus ad benè beateque viuendum neceſſariis. Hæc verò ea ſunt, quæ in conſiliis proponuntur, ſine quibus ciues non poſſunt commodè ac tutò viuere; Opes & pecunia publica, quam dicere poſſumus patrimonium ciuitatis: virtus militaris qua prohibentur hoſtium iniuriæ: finium tuendorum tutela: ne incertis ſedibus vagari cogamur: Annonæ vbertas; leges tandem ac Iura, quibus ciues in officio continentur. Si enim eo quem indicauimus progreſſu, de pecuniis agitur, conſultamus etiam de vectigalibus & tributis, quibus præcipuè pecunia publica paratur; ſi de virtute militari, conſultamus etiam de bello, in quo virtus militaris ſe exercet, de fœdere, quo eadem virtus vires auget, de tranquillitate, pace, & induciis; quibus eadem virtus à laboribus feriatur. ſi de ratione finium tuendorum conſultamus, etiam de vrbis agrique cuſtodia, quæ hinc dependet. ſi de Annona & victui neceſſariis conſultamus, etiam de iis, quæ redundant, exportandis atque vendendis; quæ deſunt importan-

dis atque emendis. vt ſic Annona & quidquid confert ad annuum victum rectè comparetur. Cum de Iuribus ac legibus agitur, conſultamus etiam de iiſdem ferendis aut abrogandis. Nam bonæ leges non iuuant, niſi ferantur & promulgentur: malæ nocere non ceſſant, niſi abrogentur. His quinque, omnis conſiliorum materia continetur. Horum rationem qui longo rerum vſu accurate nouerit, cætera etiam quæ inciderint facilè intelliget, ac de iis ſine magno negotio deliberabit.

CAPVT QVINTVM.

Deliberatio de Pecunia publica.

ET quidem vbi de pecuniis agitur, conſiliarius noſſe debet reditus & ſumptus ciuitatis. Reditus: vt ſi quis negligentia prætermiſſus fuerit, àddatur, ſi quis tenuior ſit, augeatur. ſumptus; vt ſuperflui, & non neceſſarii tollantur, & maiores, quam opus fuerit, minuantur.

Duplex autem ratio eſt implendi ærarii, & pecuniæ amplificandæ. Augere reditus & minuere ſumptus, Hinc non temere vulgò dicitur, quod Parſimonia eſt maximum vectigal.

At qui de amplificanda pecunia conſul-

tat, intelligere debet amplificationem non ſolum in augendis reditibus, & in minuendis ſumptibus conſiſtere, ſed etiam ſcire, quomodo reditus augeantur, & ſumptus minuantur.

Vtrunque ex rei familiaris ſtudio, experientia, & aliarum ciuitatum conſuetudine agnoſcitur.

Neque ſanè deſunt, qui tanquam canes venatici odorantur omnes pecuniæ vias; atque ita imperitiæ Principum opitulantur, nec ſinunt eos in errore verſari. De quibus iam ſatis: ſequitur vt de bello, fœdere, tranquillitate, pace, & induciis agamus.

CAPVT SEXTVM.

De bello & Pace deliberatio.

BElli & pacis eadem eſt deliberatio, quandoquidem contrariorum eadem eſt diſciplina. ſunt autem contraria, quia ſe mutuò perimunt, bello enim pax tollitur, & pace bellum, quique vnum iubet alterum vetat. de bello pariter, fœdere, tranquillitate, pace, & induciis vnus idemque conſiliarius deliberat. Nam bellum aut gerimus, aut deponimus. ſi ſoli gerimus, bellum ſimpliciter dicitur; ſi

cum aliis coniuncti ſociale nominatur.

Si arma deponuntur, id fit aut plane victis hoſtibus, aut pactione aliqua. ſi plane victis, tranquillitas dicitur. ſi pactione aliqua, aut omnino, aut ad certũ diem. ſi omnino, pax eſt; ſi ad certum diem, induciæ.

Conſultatio de bello ſuſcipiendo ſpectat ad Principes, & ad eos, qui conſiliis præſunt; eſtque opus ciuilis facultatis. Ita cura belli gerendi pertinet ad exercitus Imperatores & Duces, & eſt opus facultatis militaris. Imperator & Dux exercitus domi modicam; foris, & in bello ſummam habent poteſtatem.

Quem morem apud maiores noſtros, præſertim apud Lacedæmonios videre licet: apud quos domi regum poteſtas modica erat, & multis legibus circumſcripta, nec ferè quicquam ſine Ephoris ſtatuebãt, qui foris abſoluto ac plane regio imperio vtebantur. ſic Agamemnon, vt notauit Ariſtoteles, in concione, aliorum conuitia paſſus, vbi ad arma conclamatum eſt, cuicunque detrectanti pro imperio mortem minatur, non ignarus tunc penes ſe vitæ & necis poteſtatem fore.

Hoc ſapientiſſimum maiorum fuit inſtitutum. Nam in bello multa ſubitò eueniunt, quæ prouideri non poſſunt, nec ſpatium relinquunt conſulendi Principem

quare prudentiæ Imperatoris relinquenda ſunt; ac veluti in prouerbio eſt, dum Romæ conſulitur, expugnatur Saguntum, & occaſio rei benè gerendæ amittitur.

Bellum verò duplici ratione ſuſcipitur. Nam vel bellum inferimus; vel illatum repellimus & propulſamus. Inferimus ad propagationem imperii. Propulſamus ob eiuſdem conſeruationem, ſpe impulſi: metu coacti.

Quod propulſatur ſemper eſt iuſtum, pium, & naturæ conſentaneum. Nam vim vi repellere licet, & illud eſt bellum iuſtum quod eſt neceſſarium.

Secus, quod infertur, nam plerumque fit ambitione & auaritia. Bellum tamen infertur aliquando non ob propagationem imperii, ſed vt deflectatur, & aliò belli impetus auertatur. Quo conſilio ſcipio Africam aggreſſus, Annibalem ab Italia retraxit, & Africanos Romanis infeſtos de ſalute propria cogitare coëgit. ſed hoc eſt bellum illatum, quod reſoluitur in propulſatum.

Verus belli finis eſt, vt ſine iniuria in pace viuatur; qualis profecto eſſet, ſi in Republica Socratis verſaremur, in qua ciues non laceſſunt, niſi petantur. ſed quia homines ſunt imperfecti; & rara eſt auis in terris, in qua appareat aliquod veſtigium

virtutis, propterea non ſolum bello quæritur pax, quod fit propulſando bellum, ſed vt plurimum bellum ſuſcipitur, vt propagentur fines imperii.

Duplex ergo iis eſt finis, qui bellum ſuſcipiunt: Vnus vt ſe, ſuaque ab iniuriis tueantur; alter vt Imperium extendant. vnde duplex etiam deliberatio ſuſcipitur, vna de ſalute, altera de imperio & gloria.

Vbi de ſalute ac pro aris ac focis agitur, non conſulimus, an bellum ſit ſuſcipiendum. Nam inuiti etiam damnum vitare cogimur, modo ſalui eſſe velimus. ſed conſultamus adſitne facultas efficax; & ſi adeſt: quibus copiis, quo apparatu, & pluribus præſidiis vtendum.

Vitatur autem damnum. Primo dum hoſtes qui nos inuadunt, repellimus & propulſamus. Vbi ridicula eſſet conſultatio, an bellum ſuſcipi debeat. ſecundo cum paci infidæ anteponitur bellum. vt enim pax inſidiarum expers ſemper eſt deſideranda; ſic vbi fraude agitur, crebriſque inſidiis, bello pacem mutare ſatius eſt, quàm per deſidiam pati nos oſcitantes opprimi & quaſi tabe conſumi. Tertio. quando ciues inteſtina ſeditione laborantes, in hoſtes ducuntur, in quos iras omnes effundant. Nam vt otium diſ-

cordias alere ſolet, ita bellum externum ab inteſtinis malis ciuium animos auertit.

Et quidem in primo caſu nemo deliberat. In ſecundo verò & tertio, quando non ſunt certa & imminentia damna, poteſt eſſe deliberatio.

De Imperio & gloria verò ſi agitur, deliberari ſolet, an bellum ſuſcipi debeat; & num vires ſuppetant; ſimulque ſi ſuſcipiendum, qua ratione potiſſimum adminiſtretur.

Et certè in hoc negotio, vbi quærimus acceſſionem imperii, quàm maximè deliberare conuenit, an bellum ſuſcipi debeat. Nam ſæpè qui ſtudio imperii & gloriæ temerè bellum ſuſcipiunt & gerunt, aliena dum quærunt, propria amittunt.

Imprimis autem expendenda rei gerendæ facultas, ſiue agatur de ſalute, ſiue de imperio & gloria; eaque conſiſtit in copiis; auxiliis, inſtrumentis bellicis, & commeatu, ſiue cibariis ad alimoniam exercitus.

Copiæ, Terreſtres, & Maritimæ ſunt: Maritimæ remiges, ac bellatores exigunt: Terreſtres, equites, ac pedites.

Equites duorum ſunt generum: Velites, qui ſunt milites leuis armaturæ; & cataphracti, qui ferro muniti ſunt, equos ſi-

militer munitos habent.

Peditum olim tria erant genera; haſtati, principes, ac triarii. Haſtati omnium primi pugnam inibant: qui ſi profligare hoſtem non poſſent, principes ſuccedebant in pugnam. ſi principes quoque non ſatis proſperè pugnauiſſent, conſurgebant triarii.

Peditum præterea alii obſidionibus, alii oppugnationibus vrbium; alii inſidiis, alii campeſtribus præliis ſunt aptiores.

Verùm & in bello ſuſcipiendo conſiderare oportet numerum, & qualitatem militum, qui ſunt in Principis poteſtate.

Qualitatem ſi ſpectemus, videndum an ſint tirones, an veterani, cuius virtutis, cuius armaturæ. Eodem modo, hoſtium copiæ ſunt examinandæ; vt cognoſcamus an ſint noſtris inferiores, vel ſuperiores.

Obſeruare etiam oportet, quæ bella geſtarint noſtri, & quæ ii, cum quibus bellum ſuſcipere deliberamus, & quem exitum illa habuerint. plerumque enim ex ſimilibus ſimilia eliciuntur. Neque hoſtium tantùm copias noſſe oportet, ſed etiam eorum, quos aliquando fore nobis hoſtes ſuſpicari poſſumus, vt potentiores concilientur, antequam bellum geratur.

Nec parum refert, vt conſideremus, quantum veri præſidii ſit in auxiliis ſocio-

rum. Sæpè enim ſocii magis nomen afferunt, quàm vires. Hoc Sidicinis accidit ab auxilio Campanorum: hoc Samnitibus à præſidio Tarentinorum: hoc Florentinis ab auxilio Gallorum.

Summo interim ſtudio cauendum, ne auxilia ſociorum ſint potentiora noſtris copiis; adeoque fœderis ſpecie nobis imperent. Quemadmodum Romani olim ſociis prudenter cauebant, ne in exercitu maiores eſſent ſociorum vires, quàm legionum: neue ſocii ſine Romano duce & exercitu propriis viribus, & conſiliis bella gererent; quorum exemplo numquam temerè de bello & pace deliberabimus.

Nec minore cura circumſpicere oportet, vnde inſtrumenta bellica comparentur, vbi tormenta, vbi pilæ æneæ, vbi puluis ex nitro & ſulphure, & alia huiuſmodi conficiantur, aut iam facta conſeruentur: vnde etiam funes ac rudentes, aliaque armamenta nautica parari poſſint, vniuerſus denique apparatus claſſis inſtruatur.

Quid tandem dicimus de Commeatu? quem vnum omnium maximè neceſſarium dicere poſſumus, auctoritate Cæſaris Imperatoris omnium facile primi; is nullam expeditionem ſcribere aggreditur, quin his, aut ſimilibus verbis initio vtatur; Re frumentaria comparata. Intelligebat Cæ-

ſar omnium Imperatorum conſilia irrita fore atque inania, niſi ad victum neceſſaria ſuppetant.

Quare & frumenti, quod ſatis eſt parandum, & loca idonea panificio ſunt deligenda.

De bello ſuſcipiendo ſatis dictum eſt. De gerendo verò, quanquam, vt ante diximus, deliberatio ferè omnis ſpectat ad Imperatorem, & dùcem exercitus; nonnulla tamen à ſupremo Principe & ab iis, qui conſiliis præſunt, ante prouideri poſſunt. ſi nempe bellum diuertimus, videre oportet, quà iter hoſtibus pateat; quæ caſtella munienda ſint; quæ cuique loco præſidia relinquenda; quibus rebus aut iter hoſtibus impediatur, aut eiſdem cibaria, iumentiſque eorum pabula intercipiantur, vel adimantur.

Si bellum inferimus, videndum eſt quo itinere rem aggrediamur. Vbi plurimùm momenti adferunt, qui loca itineri prohibendo oportuna poſſident. Quo nomine ſibi maximorum etiam Regum amicitias conciliant, in quibus iure Dux Sabaudiæ ianitor Italiæ. Nam illius eſt, claudere, nunc Italas, nunc reſerare fores.

Quod ſi expeditio ſuſcipienda eſt aduerſus nationem longinquam; ſpectare oportet, quibus veluti gradibus ad eam

pertingere licebit.

Gradus voco finitimos populos, quorum amicitia aditum armis noſtris aduerſus hoſtes longinquos patefacimus.

CAPVT SEPTIMVM.

De Finium tutela conſultatio.

Ratio finium tuendorum eſt illa, quæ deligit loca arcendis hoſtibus oportuna, & quot, & quibus copiis ea tueri oporteat, intelligit.

Prima hîc erit cura, vt relictis locis parum idoneis, in oportunioribus præſidia diſponantur: Altera, ſi minor cuſtodia ſit quam ad ea loca tuenda ſit ſatis, militum numerus augeatur, & ſi maior quàm opus fuerit, minuatur; ita vt nec defectu nec exceſſu peccetur. Defectus enim ſecuritatem adimit; Exceſſus Principem premit & conſumit ſumptu immodico, & non neceſſario.

Præſidiorum nomine hic non intelligimus illam cuſtodiam, qua latronum ac ſicariorum ſcelera prohibentur: quod legum eſt, imo magiſtratus; ſine quo irritum eſt legum imperium, imo ad Principem hoc attinet, ſine cuius auctoritate & aſſenſu vana eſt magiſtratuum iuriſdictio:

ſed per præſidia intelligitur cuſtodia qua arcentur hoſtes, & cuius auxilio pauci contra multos ſe ſtrenuè tueri poſſunt. Loca verò præſidiis apta vt rectè intelligamus, neceſſaria primò notitia regionis: deinde peritia rei militaris; cognitio præterea eorum, qui ſunt hoſtes perpetui, vt aduerſus eorum impetus, quamuis repentinos, ſimus inſtructi. Ad hæc qui ſpectatæ ſint virtutis, ac fidei, qui præſidiis præfici poſſint.

Nec omittendæ fuerint hiſtoriæ, quibus veterum vſus ediſcitur. Imprimis verò exigitur peritia conſtruendarum arcium, & muniendarum vrbium, vbi nempe caſtella ſint erigenda; quæ forma & denſitas ſeu moles murorum, atque aggerum ſit neceſſaria; quæ foſſarum latitudo ac profunditas, ſintne foſſæ incluſa aqua tutiores, ne munimenta facilè cuniculis ſubruãtur; an abſque aqua meliores, quod eæ difficilius cratibus, aut ſarcinis in oppugnationibus impleantur; an præferendæ, quæ vtrumque habent commodum, vt & aquam contineant, & vbi viſum fuerit, claui circum acta nullo negotio ſiccari poſſint. Item quæ in plano, quæ in editioribus locis cautio ſit adhibenda, quo minus arces tormentorum ictibus ſint obnoxiæ. ſpectanda inſuper quæ ſit ambitus con-

tractioris vtilitas, vel latioris. Nam contractior minore militum numero defenditur; latior verò plures capit, quin muris vi diruptis, alii ſubſtitui intus poſſint. Quæ ſi quis obſeruauerit, nunquam ad conſultandum imparatus accedet de finibus cuſtodiendis. Maxima tamen huius rei cura Architecti peritiæ relinquitur: nos hæc indigitaſſe ſufficit.

CAPVT OCTAVVM.

Annonæ Conſideratio.

DE Annona porrò ſi deliberatio ſuſcipitur, videndum primò quantum frumenti, & aliarum rerum, quæ victui ſunt neceſſaria, ab hominibus noſtræ curæ, ac ditioni ſubiectis exigi poſſit. Neque ignorandum, quid noſtra ferat regio, & quid aliunde petendum ſit; obſeruandum etiam, quænam gentes abundent iis, quæ nobis deſunt; & quæ egeant iis, quæ nobis ſuperſunt. Vtroſque enim habere amicos oportet, vt ab iis neceſſaria paremus, ſuperflua his vendamus, & ſic noſtros reditus augeamus.

Annonæ conſideratio minus operoſa eſt, ſi publicum & non priuatum commodum ſpectetur, nec ii, qui præſunt regimini, ſint

ſint auri cupidi magis, quã exiſtimationis, vnde populi ira accenditur; quæ nulla alia re vehementius excitatur, quam annonæ inopia & fame, non ſterilitate terræ, ſed hominum culpa inuecta.

Hinc monopolia meritò damnata.

CAPVT NONVM.

Cogitatio de Legibus.

LEges demum in deliberationem veniunt, in quibus ferendis, aut abrogandis poſita eſt ſalus ciuitatis. Id munus, qui in ſe recipit, ante omnia, Iuriſprudentia & ciuili facultate præditus eſſe debet. Deinde genera ac differentias regiminum ſeu normam Reipublicæ, in qua verſatur, cognoſcat, vt ſciat quæ leges ei conueniant. Nam leges ad regimen accommodandæ; regimen ad leges neutiquam.

Quæ præterea cuiuſcumque regiminis conſeruationi & corruptioni ſint idonea. Reſpublicæ autem non ſolum à contrariis vitiantur; ſed etiam interdum à ſuis ac propriis. Sic enim ſtatus Reipublicæ popularis, cuius proprium eſt libertas, ſi nimium contrahatur, tranſit in potentiam paucorum, & vitiatur à contrariis; ſi verò nimium relaxetur, labitur in licentiam

popularem, & à ſuis & propriis corrumpitur.

Genera regiminis ſunt ſex. Nam ſumma in alios auctoritas, aut eſt vnius, aut paucorum, aut multitudinis.

Si eſt vnius, aut is qui regit imperat ad vtilitatem eorum qui reguntur, aut refert omnia ad ſuam vtilitatem; ſi primum, reſultat regnum; ſi ſecundum, reſultat regimen, quod vocamus Tyrannidem.

Si ſumma auctoritas eſt paucorum aut pauci præſunt ob Reipublicæ vtilitatem; aut omnia ſuo commodo metiuntur. ſi primum, Reſpublica erit optimatum; ſi ſecundum, paucorum potentia.

Si ſumma auctoritas eſt multitudinis; tunc aut ſalus omnium & vtilitas proponitur; aut omnia libidine & arbitrio geruntur. Si primum exurgit regimen, quod proprio nomine deſtitutum vocatur Reſpublica nomine generis. Si ſecundum, regimen illud popularis licentia vocatur.

Nec minimum adiumenti de legibus conſulenti affert lectio hiſtoriarum, itemque eorum, quæ à doctis viris, & in republica verſatis, de optimo ſtatu ciuitatis, & de diuerſarum gentium moribus, & inſtitutis præcipiuntur.

CAPVT DECIMVM.

Leonis Baptiſtæ Alberti conſultandi modus.

AB hac noſtra doctrina non multum diſſentire videtur opinio Leonis Baptiſtæ Alberti Florentini viri Clariſſimi in libello verè aureo, qui Triuia ſenatoria inſcribitur, vbi recenſet materias, de quibus conſultant & deliberant ſenatores.

Senatores dicimus; quia ſenatores Reipublicæ; & ſeniores qui præficiuntur regum conſiliis, in genere deliberatiuo verſantur: quemadmodum cauſidici in genere iudiciali; & oratores, qui contexunt laudes, in genere demonſtratiuo.

Addit ſe aduertiſſe cauſas ſenatorias ſex tantum eſſe numero: quarum ſimilitudine quadam Triuia nuncupat; quia in his omnibus ſenatoria diſceptatio verſatur, & peruagatur.

Suntque pecunia, Annona, Societas, meritum, leges, ac mores. Pècunias dicit non æs tantum, aurumue ſignatum, ſed omnem opulentiam, & rerum affluentiam, quæ ad communia ciuium ſtudia, & motus armorum, paciſque ornamenta conferunt. quò etiam ſpectant veſtes,

pecus, annona, tela, ſcuta, carri, nauis, & eius generis alia.

Armorum appellatione, non vti apud Iuriſconſultos ferrum, fuſtes, & lapides tantùm comprehendi vult, verum præter hæc peditem, equitem, phalangem, legionem, claſſem, totamque expeditionum vim & apparatum, quo publicas vindictas perſequi licebit, & ſalus patriæ, ciuiumque libertas defendi ſeruarique manu poſſit. Quibus adiungenda veniunt, quæcunque eam habent vim, vt nolentes repugnantesque cogant ad officium, atque contineant.

Societatem apellat, quam alii fœdus & confederationem, ſeu conſpirationem atque conſenſum, aut quiduis aliud, quod ab externis volentibus, & conſentientibus ductum, Reipublicæ plurimum conferat.

Merita quiſque intelligit facilè, inquit ipſe, ea eſſe, quæ dictis, factiſque proborum aut impiorum debentur.

Lex eſt præſcripta quædam & præfinita degendæ vitæ, rerumque agendarum ratio, & modus, quam publicè omnes, ſeu publici aliqui conſtituerunt.

Morem ſtatuit, quaſi legem quamdam fato inchoatam, vſu ſuſceptam, quæ non ſcripto & pœnis, ſed hominum approbatione, rectique opinione ſeruetur; vti ſunt

ritus, ceremoniæ, ludi, feſti dies, & huiuſmodi reliqua.

Dicit præterea quodlibet Triuium duos habere aditus ad diſceptandum, vbi argumenta contendunt.

Nam ſenatores aut conſultant, de cogenda, & paranda pecunia; aut de conquiſita, & aſſeruata eroganda, atque in vſus publicos conferenda

Circa arma verſatur conſultatio, vt vel armis poſitis in pace ſimus, atque in ocio degamus; vel ſumptis armis ad bellum & contra hoſtes vtamur.

In Societate penſabitur horum alterum vt eam vel ineamus, vel ſuſceptam dirimamus.

Meritis in promptu eſt, Præmia ſeu pœnas deberi. De lege etiam vel roganda vel abroganda conſultamus.

Morem pariter inchoandum aut abolendum ſtatuimus. De his igitur ſex generibus, & circa vnum quodque illorum, duplici aditu ad diſceptandum, ſenatoria omnis habetur ratiocinatio.

Statuit deinde ratiocinationem ipſam habere locos perſuaſionum in quibus argumenta verſentur.

Loci perſuaſionum ſunt ſex; quemadmodum etiam ſunt ſex illa prima genera, de quibus eſt conſultatio, ſeu illa triuia,

in quibus omnis diſceptatio ſenatoria peruagatur.

Sunt igitur ſex perſuaſionum loci: honeſtum, neceſſarium; delectabile, vtile, poſſibile, facile. totidemque diſſuaſionum: Inhoneſtum, non neceſſarium, triſte, inutile, impoſſibile, difficile.

Ex primis ſex locis perſuaſionum circa vnumquodque genus, ſuppetit perſuadendi facultas.

Etenim vel perſuadendo dicimus cogere, & parare pecuniam eſſe honeſtum, neceſſarium, delectabile, vtile, poſſibile, facile: vel diſſuadendo eſſe inhoneſtum, non neceſſarium triſte, inutile, impoſſibile, difficile.

Eaque horum vis eſt in cauſis ſenatoriis, vt interdum vno, aut altero iſtorum benè comparato tota cauſa illico comprobetur.

Si quis enim oſtenderit exhauſto ærario, & feſſis longa bellorum moleſtia ciuibus non patere, vnde pecuniam ſumant, & difficilius eſſe Annibalem abigere, quàm arbitrentur, nihil amplius eſt, quod contra diſceptetur.

Monet quoque in ſenatoriis diſceptationibus euenire, vt adiunctionibus quibuſdam, ea quæ aſſeruit, non ſemper, neque vbique ſint vera.

Hoc modo natura facile, poſſibile ac

prope neceſſarium eſt, arborem primò florentem vere, fructum autumno reddere. ſed adde veternoſam, & adiunge turbulenta tempeſtate, ac ventis ſæuiſſimis quaſſatam arborem, vtique id nec facile, neque admodum poſſibile erit. Quod itaque ſua natura erat facile, poſſibile & admodum neceſſarium, nunc iſtiuſmodi adiunctione, neque facile, neque poſſibile, & multominus neceſſarium redditur.

Adiicit, omnia, quæ primis perſuaſionum locis addita, adiunctiones vocantur, poſſe ad ſex capita commodè reuocari: perſonā nempe, locum, rem, cauſam, tempus, modum: quibus omnibus immutari poſſunt perſuaſiones: aliud enim Catoni: aliud Cæſari eſt honeſtum, neceſſarium, delectabile, vtile, poſſibile facile.

Loco etiam mutato, perſuaſiones immutantur. Etſi enim cuilibet loco proprium videatur, vt ſit capax, habet tamen aliquid aliunde aſſumptum. Nam alius eſt publicus, alius priuatus, alius ſacer, alius prophanus.

Rebus quoque diuerſis, diuerſa perſuaſio contingit. differt autem vna res ab altera, iiſdem, quibus differt locus à loco; ſed præcipuè qualitate & quantitate.

Sed etiam cauſa mouens, ſi immutetur perſuaſio, diuerſa ſuccedit. Cauſæ verò,

quæ mouent animos noſtros multæ ſunt; quales cura ſalutis, libertatis, honeſtatis, cupiditas rerum, gloriæ & Imperii. Nec minus quam vulnera mouent, quæcunque concitant dolorem, indignationem, iram, odium, obtrectatio, æmulatio, iniuria, & cætera, quæ ob inſignem moleſtiam vix ab homine diu ferenda cenſentur.

Perſuaſio etiam variat diuerſo tempore, quod triplex; antequam aliquid agatur; dum agitur, & re iam perfecta & abſoluta.

Aliquando etiam tempus mutatur ex iis quæ non ſunt penitus temporis. Quo modo Syllæ tempora duriora fuiſſe putantur, quàm Marii: & bellorum tempora eſſe plena omnium ſollicitudinum. & tunc volumus mores notare, quos id tempus tulerit.

Modo denique diuerſo fit etiam diuerſa perſuaſio. Modus licet præcipue videatur; ordo rerum agendarum, habet. tamen aliquid in ſe maioris momenti. Nam in ordine illud obſeruatur; vt hoc fiat prius, illud ſimul, aliud poſterius; in modo autem rebus adhibendo cauetur, ne quid excedat, aut deſit, aut fiat non accommodatè.

Itaque hæc ſunt, quæ faciunt ad cauſas ſenatorias generis deliberatiui: nimirum triuia perſuaſionum, loci, & adiunctiones.

Subiungit ex tribus triuiis; locis perſuaſionum, & adiunctionibus, multiplicem ac promptam, & facilem argumentorum rationem & copiam ſubminiſtrari.

Tandem gradum mouens ad vſum ipſum, notat, quod ſi vel triuiis, triuia; vel triuiis locos perſuaſionum; vel triuiis adiunctiones, & ſimul locos perſuaſionum combinauerimus, magnam argumentorum vim prodituram.

Triuia triuiis combinantur, quando diſceptantes armáne capienda ſint, cogitant; num ſufficiant facultates publicæ, & copia eorum, quæ vſui futura ſunt; An confœderatorum, & amicorum rebus ita conueniant. An meritis bonorum vel malorum ſic ſatisfiat. An ſit ex lege, quod iubeat. hoc eſt ex ratione vitæ benè degendæ. An arma capere ſit conforme priſcis maiorum moribus, ac bonorum conſenſui.

Ex his combinationibus, quo pacto eliciantur argumenta ſuperuacuum eſt docere. Nam illa ſponte occurrent, & quantum valeant, clarè, & dilucidè oſtentabunt, ita vt, quilibet mediocris etiam ingenii, ſibi commodiſſima poſſit ſeligere. Mira enim quanta argumentorum ſeges ſeſe offerat, ſi collatis triuiis, lociſque perſuaſionum, penſitabimus, futurumne

vllo pacto ſit, vt ſpretis armis, Religio & majeſtas, & decus Imperii conſeruetur; tuti eſſe poſſimus: ſitne in armis ipſis poſitum, quod gaudia, exſpectationes, voluptates ciuium augeat, atque confirmet, vel quod conferat, corroboret, conſeruet nos, & res noſtras; poſſintne arma noſtræ exſpectationi ſatisfacere; an armis leui labore reddantur faciliora ea, quæ vſui futura ſunt.

Pari modo copulabimus etiam cum triuiis adiunctiones, & ſimul locos perſuaſionum. Penſitabimus nempe an arma capere per hos dies ſolemnes ſit honeſtum; An dirimere ſocietatem tempore belli ſit vtile: An negare meritis præmia ſine cauſa ſit facile: an legem abrogare in loco non publico ſit poſſibile: An mores priſcos abolere, ſine modo ſit ciuibus delectabile.

CAPVT VNDECIMVM.

Conſultationis difficultas.

CÆterùm quandoquidem omnis conſultatio eſt inueſtigatio veritatis; quæ in profundo latet, conſilium ſanè perquam difficile eſt: cuius difficultas augetur ab eo, qui conſilium dat. Huius

enim exigitur prudentia, quæ in pauciſſimis reperitur.

Nec parum difficultatis ab eo, qui conſilium petit, quia plerunque Principes aſſentatoribus gaudent. Expendamus difficultatem, quæ dependet à conſilio ipſo, & à rebus, quæ in conſultationem cadunt, de quibus hactenus locuti ſumus.

Difficultatis verò cauſa pręcipua eſt, quod plerumque inſtrumentis deſtituimur, quibus omnino effectum aſſequamur. ſiquidem prudentia non poteſt procedere per certas & determinatas vias: ſicut nec medicina, quæ modo contrariis, modo ſimilibus medetur.

Et quidem mediis diuerſis atque contrariis ſæpè aſſequimur eundem finem, quoniam ex diuerſo conſilio, iidem cõtingunt euentus. ſic ira ceſſat in pauidos, ſeque demiſsè gerentes, vnde canes non mordent proſtratos. Sed quandoque etiam audacia & conſtantia, timori & humilitati omnino contrariæ, veniam meruerunt.

E diuerſo, ſæpè eodem medio, fines diuerſos aſſequimur, & ex eodem conſilio diuerſi ſequuntur euentus. Ita iniurias non vlciſci generatim loquendo eſt contra propriam indemnitatem. Nam qui non vlciſcitur lædenti fit præda.

Quandoque tamen profuit, impunitas

relinquere iniurias. Qua ratione Auguſtus, qui coniuratorum perfidiam ſeueritate coërcere non potuit, clementia extirpauit.

Sed interdum mediis prauis finem bonum aſſequimur. hinc quoniam ſuſpecta habere conuenit bona naturæ, & nimium proſperam valetudinem, miſſione ſanguinis, & purgationibus nimium robur extenuare ſolemus. atque hoc medio prauo, diuturnam parare ſanitatem. Eodem conſilio etiam, quia vrbes nimium diffluebant populo, ciuibus in colonias traductis, vrbes iis exonerabantur, non ſecus ac ſanguine emiſſio, corpus.

Ita Lycurgus ad introducendam ſobrietatem permiſit ebrietatem. Ebrii enim ciuium in ſe odium concitantes, poſtea virtuti ſtudebant, vt ſibi eorum animos reconciliarent.

Antiqui corpora eorum, quos morti deſtinauerant, concedebant à medicis viua ſecari, vt maiorem in medendo certitudinem acquirerent; licet hanc conſuetudinem tanquam inutilem Cornelius Celſus improbet.

Et Romani, vt milites mortis pericula contemnere aſſueſcerent, inuenerunt gladiatorum crudele ſpectaculum; in quo homines nec vultu mutato, nec vllo alio

doloris ſigno intrepidi ac hilares interficiebantur.

Conſilium itaque ſua natura difficile, quandoquidem & mediis diuerſis & contrariis eundem finem; mediis quoque iiſdem fines diuerſos; & mediis etiam prauis finem rectum & optimum aſſequi licet.

Ideoque, non ſunt ſemper & vbique veræ in materia ciuili hæ propoſitiones phyſicæ: diuerſum vt diuerſum ſemper facit diuerſum: Idem vt idem ſemper facit idem; effectus eſt ſimilis ſuæ cauſæ.

Super eſt, qualis eſſe debeat, qui conſilium daturus eſt.

CAPVT DVODECIMVM.

Conſiliarij dotes.

TRia ſunt, quæ hominibus fidem conciliant: Prudentia; virtus, beneuolentia. Nam homines qui conſilium dant, vel decipiuntur imprudentia ita vt non intelligant, quid ſit vtile, aut ſi intelligunt, habent aliud in ore aliud in corde, & ſecus ac ſentiunt loquuntur. Idque duplici de cauſa: nimirum improbitate, vel odio erga eos, quibus conſilium ſunt daturi.

Conſiliarius itaque ſit prudens, vir bonus, eique cui conſilium dat amicus; nec

dubium, quin prudentiæ in conſiliis primæ debeantur. Nam ratio, per quam à cœteris animantibus diſtinguimur, & ſegregamur duplicem habet vim. Altera verſatur in iis, quorum eſt ſcientia, quæ ſemper eodem modo ſe habent, ſuntque neceſſaria, æterna, immutabilia; eiuſque finis eſt adeptio veritatis, neque vllum alium habet finem. Altera verſatur in iis, quæ poſſunt ſe aliter atque aliter habere. Et hæc in duo genera diuiduntur. Alia enim propriè dicuntur effici, quorum opus remanet, & pertinet ad artem. Alia non dicuntur effici, quorum finis eſt Actio; atque hæc referuntur ad Prudentiam, cuius proprium eſt intelligere, quid agendum ſit, quid fugiendum, vt benè beateque viuamus.

Prudentia igitur eſt habitus rationis, qui nos diſponit ad rectum vſum illius, in rebus agendis & fugiendis.

Sed quia rectus vſus rationis practicæ eſt triplex: conſulere, quod eſt inquirere & inuenire vtilia ad beatam vitam: iudicare de inuentis: præcipere inuenta & iudicata: ideo conſiliarius, qui à conſulendo dicitur, non ineptè appellari poteſt inquiſitor & inuentor vtilitatum.

Prudentiæ initium & fundamentum, eſt naturalis quædam vis, & quaſi mentis

oculus; qui magis minuſue in aliis elucet. Siquidem omnibus data non eſt æqualis indoles ad intelligendum. Hoc naturæ bono Themiſtocles erat egregiè inſtructus. nam ipſe ſine vlla diſciplina, ſola vi naturæ, de futuris non modo veriſſimè iudicabat; ſed callidiſſimè coniiciebat, vt narrat Thucidides.

Hæc naturæ vis, ſi ad bonum dirigatur, & longo rerum vſu exercitata perficiatur, tranſit in habitum, qui Prudentia nominatur. Vbi minimè diſſimulandus error cuiuſdam ex recentioribus, qui ſyneſin & gnomen cenſet igniculos à natura datos, & quaſi ſemina prudentiæ. Nam etiam illæ ſunt virtutes acquiſitæ, vt oſtendit Caiet. 2. 2. qu. 51. art. 4. & ſunt virtutes annexæ prudentiæ, non prudentiæ initium & quaſi fundamentum.

Super eſt moneamus, quæ potiſſimùm prudenti conſiliario fuerint vitanda. Cauendum inprimis ne incognita pro cognitis habeat, iiſque temere aſſentiatur. Vbi ex mente diuini Platonis aduertendum, tria occurrere hominum genera. Vnum peritorum atque intelligentium; alterum imperitorum; & ſuam imperitiam agnoſcentium; quorum neutri errant, aut decipiuntur. Illi enim ſponte intelligunt, hi verò intelligentibus credunt.

Tertium genus eſt eorum, qui non intelligunt; ſed ſe ſcire atque intelligere opinantur: Qui verus fons omnium errorum: Hi dum omnia audent, ſibi, & aliis malé conſulunt. Quod vitium adoleſcentibus familiare, qui in tam breui vitæ ſpatio pauca experti, & propterea raró decepti benè de omnibus exiſtimant; omnia facile credunt; ſpeique pleni, putant omnia ſibi ſucceſſura ex animi ſententia, iccirco omnia confidenter agunt, & loquuntur, omniaque ſine hæſitatione probant. Inde Alcibiades in Socrate meritò deridetur, cùm admodum adoleſcens in concione Athenienſium, de bello, pace, & aliis ſpectantibus ad Rempublicam verba facere geſtiebat, quum iſtarum rerum per ætatem, nullum haberet vſum, & experimentum. Vt iuſta ſit apud Poetam querela: labi ac ruere omnia cæpiſſe, vbi ad Rempublicam acceſſerint noui, ſtulti, adoleſcentuli.

Ideoque non vana prorſus eorum ſententia, qui credunt, quod maiores noſtri eam partem, quæ Reipublicæ conſulebat, à ſenibus ſenatum appellarint.

Nec tamen omnibus promiſcuè adoleſcentibus prudentia eſt deneganda. Non enim adoleſcentia eſt erroris cauſa, ſed imperitia, quæ plerumque illius ætatis eſt

comes

comes. Nos autem quod plerunque fit ſub conſiderationem vocamus.

Cõſiliarius porro incognita pro cognitis & pro certis incerta non accipiet, ſi adhibebit ad cõſiderandas res tempus & diligẽtiã; ſi iudicabit de vnaquaque re, pro cuiuſque rei natura; ſi de rebus contingentibus ante exitum nihil ſibi certi pollicebitur; ſi meminerit multa inopinatè accidere ſolere; ſi conſiderabit inconſtantiam rerum humanarũ, atq; occultas hominum voluntates, & multiplices naturas; ſi reuocabit in memoriam dictum illud Epicharmi, neruos prudentiæ eſſe non temerè credere: denique ſi non carebit experientia rerum humanarum. At quoniam ars longa eſt, & vita breuis, ita vt ſi eſſet triplo longior, ſatis non eſſet ad pleniſſimam experientiam comparandam; ideo addenda eſt lectio hiſtoriarum, quæ continet experientias aliorum. Hæc tantum valuit in Lucullo; vt de eo Cicero ſcriptum reliquerit, quod cum totum iter, & nauigationem conſumpſiſſet, partim in percontando à peritis, partim rebus geſtis legendis in Aſiam Imperator venerit, poſt quam eſſet Roma profectus rei militaris rudis, ſed hoc raro accidit, nec quod licuit magno ingenio Luculli, omnibus licet.

Cum ergò aliter afficiamur iis, quæ ſola

cogitatione aſſequimur, & aliter iis, quæ vſu percipimus atque agendo nos ipſi experimur, vſu opus erit. Hic tamen hiſtoriarum lectione adiuuari poteſt. Nam qui ſolo vſu contentus hiſtorias & aliorum diligentiam negligit, malle videtur monoculus eſſe, quàm vtroque oculo vti, quum poſſit.

Conſiliarius igitur in vſu quotidiano & in veterum monumentis, cuiuſque ætatis Principum, priuatorum hominum, diuitum, pauperum, nobilium, & ignobilium mores obſeruet; quos omnes more ſuo exquiſitè Ariſtoteles in libris Rhetoricorum exprimit. Nam hæc omnia formant non tantùm perfectum oratorem, ſed etiam prudentem conſiliarium. Obſeruandum etiam eſt apud egregiòs hiſtoriarum ſcriptores, quid è diuerſarum nationum legatis proſe quiſque dixerit; quibus rationibus ſuam quiſque cauſam defenderit; quibus à ſenatu reſponſum ſit; quibus item rebus adducti pacem, aut inducias fecerint, aut bellum indixerint, vel ſocietatem contraxerint, ſeu repudiauerint: notandæ etiam bellorum & ſeditionum cauſæ ciuilium; & alia huiuſmodi, quæ in conſiliis agitari debent.

Conſiliarii præterea prudentis eſt euita-

re arrogantiam, quæ ſibi aſſumit vices Principis, eiuſque occupat officium, cùm intra limites ſui muneris cónſiſtere deberet. Quod vt commodè fiat, ſciendum conſiliarii officium; & qui ſint fines illius officii, quos vltra citraque nequeat ſubſiſtere. Etenim cùm ſint tres prudentiæ actus, conſilium quod eſt inquiſitio, iudicium, & præceptum; ad conſiliarios qui à conſilio appellantur ſpectat tantum inquirere; iudicare neutiquam, minus præcipere.

Itaque nimium ſibi arrogantes dum limites conſiliarii excedunt, nec ſe oſtendunt Principe inferiores. Iouem ferunt deuoraſſe Metim ex cópreſſu ipſius grauidam, atque ita prægnantem factum, armatam Mineruam ex capite peperiſſe. Fabula ingenioſa ſimilitudine, arcanum Principibus imperii documentum præbet, quó diſcant, quomodo ſe gerere debeant erga conſiliarios. Nam initio res ſuas committere debent cóſiliariis, & hæc eſt prima veluti conceptio. Sed cum illæ iam formatæ ſunt, conuenit eas in aluo conſilii reſumere, antequam à conſiliariis emittantur in lucem, eaſque proprio iudicio limare, & parturire imperio, vt qui libet cognoſcat, vltima decreta ab ipſorum iudicio & auctoritate manaſſe, quos Pallas armata

repræſentat, prudentiæ ac imperii ſimulachrum.

Quod ſi verò conſiliarii Rerumpublicarum, non ſolum vtilia inueniunt, ſed etiam iudicant de inuentis, & præcipiunt de iudicatis, id certè non faciunt tanquam conſiliarii, ſed tanquam Principes.

Nec moueat quenquam, quod prudentia legis excecutiua, quæ eſt in gubernatoribus & iudicibus, diuiditur in conſiliatiuam & iudicatiuam: nam gubernatores & iudices conſultant de præmiis & pœnis, & iudicant de iiſdem, quandoquidẽ conſulendum eſt prius quàm iudicandũ. Non tamen conſultant de bello & de pace, nec iudicant de iiſdem. Quia conſultatio de bello & pace & ſimilibus, fit coram Principe, nec ad gubernatores & iudices, ſed ad conſiliarios ſpectat, ad quos non ſpectat iudicium ſicut ſpectat conſilium: ſed iudicium & præceptum ſoli Principi reſeruatur.

De Prudentia itaque Conſiliarii noſtro inſtituto hæc ſufficiunt: ſupereſt de eius virtute quædam ad ferantur. Prudentia & virtus ſi accurate expendantur vix ſeparari poſſunt. Prudentia quippe non ſolum infert rationem rectam, ſed etiam prius requirit appetitum bonum. Nunquam enim prudens hic & nunc iudicaret ſibi-

que præciperet, eſſe abſtinendum à voluptatibus, niſi haberet appetitum benè diſpoſitum. Hæc verò bona diſpoſitio vel eſt virtus, vel ſaltem virtutis initium. Secundo prudentia, quæ conſultat de iis, quæ ſunt ad finem, non poteſt eſſe recta niſi finis ſit rectus. nam media ex fine deducuntur, vt concluſiones ex principiis, ſed rectitudo finis prouenit à virtute. nam qualis vnus quiſque eſt, talis eſſe videtur finis, quare Prudentia etiam virtuti eſt vnita. Tertiò prudentia definit & ſtatuit materiam, in qua ſeruatur ratio mediocritatis. virtus autem in mediocritate conſiſtit; ideoque Prudentia à virtute ſeparari non poteſt. Atque hinc eſt quod Prudentia licet habitus intellectiuus, inter virtutes morales connumeratur. quod optimè inter cæteros cognouit Caiet. 1. 2. q. 58. art. 4. qui contra Scotum in 30. diſt. 36. affirmauit Prudentiam non conſiſtere inter puros limites intellectus vt Scotus exiſtimabat, ſed eſſe rectam rationem agibilium, appetitu recto particularis finis factam & firmatam.

Hæc quidem ſubtiliter & verè à Philoſophis diſputantur. Nobis autem non eſt ſermo de virtute ac prudẽtia omnibus numeris abſoluta. nam ſi ad exquiſitam illam regulam exigantur, nemo erit prudentia

præditus aut virtute; ſed quemadmodum vulgus alios prudentes vocat, alios fortes, alios temperantes, ſic & nos de iiſdem loquimur oratione populari, atque ad communem vſum accommodata, qua in Rhetoricis delectatus Ariſtoteles, quamuis hoc argumentum via valde diuerſa, & exquiſita tractauerit in libris ethicorum.

Cùm igitur conſilium ſit è genere eorum, quæ referuntur ad aliud; dum reſpicit vtilitatem illius, cui conſilium datur, conſiliarius vtique omnes exigit virtutes quatenus pertinent ad alios.

Conſiliarius certe paſſionibus perturbatus & vitiis inquinatus, non poteſt exercere officium ſuum. nam qui intemperantia auaritia, ambitione, aliaue perturbatione animi obcæcatus, voluptatis, vtilitatis, honoris ſpeciem honeſtati anteponit, ab eo fruſtra rectum conſilium expectatur.

Omnium verò virtutum maximè fides poſtulatur in conſiliario. qua ſi caret, omnis ſocietas tollitur cum amicis. quomodo enim cum amicis & familiaribus viuere licebit, ſi ab iis, quos aduocauimus in conſilium, ſimulatione virtutis ac beneuolentiæ decipiamur? ſi infamem reddit actio depoſiti, cum quis rem ſuæ fidei creditam ad vſum proprium transfert, quo loco habendus is, qui in ſuum commodum conuertit non veſtem

ac ſupellectilem, ſed famam atque exiſtimationem Principis, & quandoque etiam ſalutem fidei ſuæ commendatam. Quanti fides Conſiliarii ſit momenti oſtendit Athenienſium Reſpublica, quæ floruit, quamdiu Ariſtides, Miltiades, Pericles, Solon, Themiſtocles, & alii pecuniis inexpugnabiles viri, eam ſuis conſiliis gubernarunt. At poſtquam Athenienſes deguſtarunt aurum regium, quo Philippus omnia caſtella expugnari poſſe dicebat, ſimul eorum gloria & libertas concidit. Adeò imperium virtute partum auaritia & largitionibus corruit. Poſteris veluti oraculum fuit illud callidiſſimi Numidarum regis, vrbs venalis citò eſt peritura ſi inuenerit emptorem. Sit igitur conſiliarius veluti Pericles apud Athenienſes & Camillus apud Romanos à pecuniis inuicti, quorum virtutem oderant, ſed mirabantur.

Rerum publicarum verò Conſiliarii cæteris iure ſunt fideliores: ſi namque externorum regum largitionibus corrupti Rempublicam proderent, perinde facerent, ac ſi nauem perforarent, in qua ipſi nauigarent. Quod Conſiliariis precio conductis non timendum, quando naui perforata poſſunt aliam conſcender, quod Rerumpublicarum conſiliariis, quarum ipſi ſunt etiam domini, & ſenatores non conceditur. ſi enim Reipu-

blicæ exitium machinarentur, ipſi etiam corruerent, adeoque priuatæ vtilitatis peruerſi forent ratiocinatores, ſi Reipublicæ fideliter non inſeruirent. Atque hæc de integritate & fide dicta ſint.

Verùm conſiliarius non ſolum erit integer, ac fidelis, ſed etiam magni animi, ita vt poſſit alios liberè loquendo iuuare.

Sunt enim nonnulli, qui natura prudētes ac boni, recta cognoſcunt & ad ea quæ cognoſcūt natura ferūtur; iiſdem tamen proferendis abſtinent, præ animi imbecillitate. Quæ modò eſt timiditas; modò imodica verecundia.

Timiditas eſt ſi cum potentioribus agimus, cum quibus non audemus liberè loqui: Verecundia ſi cum paribus.

Hi timidi & verecundi ſunt minori odio digni, ſi fraus abſit & perfidia, & proprii commodi ſtudium: laudandi tamen non ſunt, quandoquidem deſerunt eos, quos conſilio iuuare deberent.

Perfidia verò eſt odio digna maiore, quàm imbecillitas animi; vtraque tamen conſiliarius carere debet.

Quare oportet conſiliarium non ſolùm eſſe integrum & fidelem, ſed etiam fortem & conſtantem, & magni animi, ne pluſquàm decet pertimeſcat offenſionem Principum, aut erubeſcat conſpectum amicorum, atque ita ſalutaria conſilia promerè vereatur.

De libertate in ſententiis dicendis multa diſſerit Demoſthenes, multa Thucydides, è quorum fontibus haurire licet timiditatis antidotum.

Vitioſam vero verecundiam corrigere poſſumus aureo Plutarchi libello.

Abſit tamen, dum laudamus libertatem dicendi in conſiliario, vt damnemus modeſtiam, quæ præcipuum eſt ornamentum eorum qui dant conſilium.

Seruetur igitur in conſilio dando modeſtia, præſertim ſi ii, cum quibus agimus ſuperiores ſunt ætate, dignitate, vſu rerum, ingenio, doctrina.

Nec ad conſilium accedemus non rogati, niſi ſalus aut exiſtimatio Principis ſeu Reipublicæ, aut amicorum neceſſitas id exigat.

Verùm, vt accuratius intelligamus, quibus præſertim maculis liber & purus animus Conſiliarii eſſe debeat, eum omnino poſtulamus virum integrum, & ab omni perfidia alienum. Conſtantem etiam, vt neque extimeſcat neque erubeſcat ea liberè proferre, quæ aliis ſunt profutura. Apertum præterea & ſincerum veritatis cultorem, cui piaculum ſum ſit omnia ſic tegere, vt difficile ſit ab eo elicere & extorquere, quid quaque de re ſentiat. Diſſimulatorem nolo, qui fingit ſe minus ſcire & intelligere, quàm reuera ſcit ac intelligit. Manſuetum quoque eſſe pluri-

mum refert. Nam animus procliuis ad iram cernere verum non poteſt Nec minus in quærendis conſiliis vigilantem eſſe decet, quàm taciturnum in cuſtodiendis atque occultandis iiſdem. Vigilantia verò virtus eſt, quæ verſatur in vſu ſomni moderato, ita vt quiete neceſſaria valetudini ſeruiamus, & nimium otium ac deſidiam vitemus. Eaque temperantiæ ſpecies eſt aut comes; ſpecies quidem, vbi ſomnus numeratur in voluptatibus corporis: quo nomine qui à nimio ſomno abſtinet eoque moderate vtitur, dicitur temperans; nimirum qui moderatur voluptatibus corporis. Comes autem temperantiæ videtur eſſe, quandoquidem victum ſobrium ac moderatum, qui eſt temperantiæ peculiaris, ſequitur vſus ſomni moderatus, ac vigilantia. qua fortaſſe ratione temperantia dicitur conſeruatrix prudentiæ, Nam qui ſobriè ac temperanter viuunt, non ſunt ſomnolenti, ſed ad prouidendum aptiſſimi.

Conſiliarius itaque non det ſomno noctes integras. Nam velut in tenebris, corporis oculi nihil cernunt, ita ſomno impeditur oculus mentis noſtræ: ſomnus ſiquidem perfectus eſt mentis ceſſatio; nec prudentes ſomno ſopiti differunt ab imprudentibus: niſi forte ſomniantium viſa prudentibus meliora ſunt, quam inſipientium.

Taciturnitas cuſtodiendis conſiliis appri-

mè neceſſaria eſt, porro conſiliorum quaſi theſaurus. Fruſtra enim quærimus niſi inuenta & cogitata ſilentio tueamur, ne ab inimicis præcipi aut præuerti poſſint. ſcitum eſt Poëtæ illud: Non minor eſt virtus, quàm quærere parta tueri.

Etſi verò taciturnitas adeo videatur omnibus prompta; vt prouerbio iactetur: vtinam tam facile loqui poſſem, quàm tacere; plerique tamen difficilius tacent, quàm loquuntur. Quamuis enim natura hominibus binas aures, binos oculos dederit, linguamque tantum vnam; vt plura audiant, plura videant, quàm loquantur: Maxima tamen pars hominum promptior eſt ad loquendum, quàm ad tacendum: & quo magis aliquid eſt arcanum: eò libentius id effundunt, inani quadam gloria, vt aliis incognita ipſi noſſe videantur. Ideoque ſilentium non ſolum mulieri, vt cenſuit Euripides, verum etiam conſiliario inprimis ornamento eſt; quo rimarum pleno nihil turpius.

Peccat autem Conſiliarius non taciturnus: vel perfidia ſi detegit arcanum, quæſtus cauſa, aut conciliandæ ſibi apud hoſtes gratiæ; vel garrulitate ac fatuitate, ſi id linguæ incontinentia faciat. Ob quam Tantalus à cœlitum mẽſa remotus, pœnas pendit apud inferos à poëtis decantatas.

Hoc morbo turpiſſimo, qui eſt leuitatis & amentiæ argumentum, nihil intolerabilius in eo, quem Princeps conſiliorum ſuorum conſcium adſciuit. At vni tantùm amico ſummo atque intimo quiſpiam arcanum crediderit: quid verò ſi & ille alii amico, itemque alius alii? nunquid ab aliis poſtulamus, quod nobis ipſi non præſtamus. Metellus interrogatus cum bellum in Hiſpania gereret, quid poſtridie facturus eſſet: tunicam inquit meam ſi id prodere poſſet, comburerem.

Antigonus etiam filio ſciſcitanti, quo tempore caſtra moturus eſſet: An vereris inquit, ne tubam non exaudias? Ita quem regni hæredem reliquit, arcani participem noluit.

Zeno cùm in conuiuio Athenis alii multa pulchra & egregia loquerentur, ipſe ſolus ſemper tacuit. Rogantibus autem Regis legatis, quid Regi de ſe dici vellet, nihil inquit aliud; niſi ſenem eſſe Athenis, qui inter potandum ſilere poſſet.

Longum nimis foret eos memorare, qui ſibi ſuis ciuitatibus & regibus tacendi negligentia exitium attulerunt.

Quæ omnia in Conſiliario neceſſaria virtutis veniunt nomine, ſeu iuſtitiæ vniuerſalis.

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

Conſiliarij vitia.

QVoſdam verò non vocatos audacter & imprudenter in conſilium venire non vſque nouum. ſunt enim, qui omnibus vbique; & de quauis re conſilium dare ſunt parati, vt quaſi ſoli ſapere videantur, quod magnæ arrogantiæ ſignum eſt. Interdum tamen id faciunt, vt videantur ſtudere commodis eorum, quibus conſulunt, & ſic beneuolentiam captant, & cauponantur. Quod arrogantia grauiùs eſt, auaræ nempe, & ſagacis naturæ indicium.

Nonnunquam id etiam fit decipiendi ſtudio: quod perfidiæ indicium.

Aduerſus id hominum genus, valet ſeruatoris noſtri monitum: Attendite à falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces, à fructibus eorum cognoſcetis eos. Nunquid colligunt de ſpinis vuas, & de tribulis ficus? optimè id à ſapientiæ fonte manauit, quod altiori conſideratione dignum. Huiuſmodi enim Conſiliarii ſubdoli, & deceptores, non ſunt manifeſti inimici, ſed reconditi. Ideoque non di-

citur: Aſpicite falſos prophetas, ſed attendite. Vbi enim res certa eſt aſpicitur, id eſt ſimpliciter videtur; vbi autem incerta, attenditur, & caute conſideratur. Veniunt ad vos in veſtimentis ouium. veſtimentum ouile eſt ſpecies ſimulatæ virtutis, & amicitiæ. Nihil autem ſimulatione pernicioſius, ſiquidem ſpecie boni malum celatum, dum non cognoſcitur, non cauetur. Intrinſecus autem ſunt lupi rapaces. nam hi pietate, ac ardenti ſtudio vtilitatis noſtræ quaſi quadam veſte ſe tegunt, intrinſecus tamen animum habent venenatum, & ſimpliciorum hominum animos decipiunt. A fructibus eorum cognoſcetis eos, id eſt ex operibus coniici poteſt, qua ratione moti ad conſilium acceſſerint, etiam non vocati. Elucente namque demum veritate neceſſe eſt, quod mens rabida lupi, habitu ouinæ pellis ſe exuat. Tales cognoſcere ne quis putet impoſſibile eſſe ſubdolos ſcilicet conſiliarios, & deceptores: ab euidenti exemplo iſtæc ratio depromitur. Nunquid colligunt de ſpinis vuas, & de tribulis ficus? Ficus nempe multa grana vno tegmine tenet incluſa, fides pariter plurimos homines vnit dulci quodam charitatis amplexu. Vua eſt amicitia, quæ examinatur, & probatur; nam in torcular mittitur, & ſincera

eſt, quia non aquata; ſpina verò, ac tribulus vndique habet aculeos & perfidi conſiliarii, quacunque ſui parte pleni ſunt iniquitatis. Non poſſunt ergo huiuſmodi ſpinæ, & tribuli ferre fructus fidelis, & amici Conſilii.

Videbis è diuerſo, & miraberis fortè, multos in conſilium vocatos adeo ſilentes, vt Harpocrati ſacramento ſe deuinxiſſe putes. Timiditatis hoc eſt, aut immodicæ verecundiæ. Quod ſanè vitium etſi à culpa remotum videtur, ſecus ac perfidia, quæ opponitur integritati; defectus tamen eſt, & priuatio. Nam conſiliarii non eſt deficere magnitudine animi atque conſtantia, vt animi ſenſu libere promat. ſin autem liuore, & odio fiat, quia alienis malis gaudet, maleuolentia dicitur, vitiumque eſt virtuti contrarium.

Eiuſmodi enim mortales deſtituuntur charitate, beneuolentia, & amicitia, quæ vel eſt virtus, vel quidam effectus, & comes virtutis.

CAPVT DECIMVMQVARTVM.

Poſſitne Conſiliarii virtus ſine prudentia conſiſtere.

MAnifeſtum itaque cùm ſit, opus eſſe ad conſultandum prudentia & virtute, quarum vna ſine altera eſſe poſſit; deſpiciendum vtique fuerit, quænam ex iis optabilior ſit Prudētia ſine virtute, an virtus ſine Prudentia? Dubium variis profectò ſententiis agitatum, nec iis validæ rationes deſunt, qui affirmant virtutem in conſiliis eſſe magis neceſſariam. Virtus enim ſine Prudentia plurimum prodeſt ad conciliandā fidem. Prudentia ſine virtute parum valet ad faciendam fidem. Imo quò quis aſtutior, & callidior, eo inuiſior, & ſuſpectior, detracta opinione probitatis. Conſilium verò ſine fide fruſtra datur. In conſultatione itaque optabilior virtus.

Prudentia deinde ſine probitate innumerabilia damna, & incommoda attulit hominibus, & ciuitatibus, quorum exemplis compendii cauſa ſuperſedemus. Præterea homo perfectus, eſt omnium animalium optimum; à lege, & iuſtitia ſeiunctus eſt peſſimum vt autor Ariſtoteles lib. 1. de Repub. qui addit, quod improbitas armis

armis inſtructa ſit maximè perniciosa; illa verò armis inſtruitur ab ipſa prudentia. Conſentit his Plato, qui libro. 3. de legibus ait. Improbitatem eſſe omnium peſſimam, atque improbis ciuibus, quamuis diſciplinis omnibus inſtructis, nullam reipublicæ partem committendam, probis autem ad hærendum, ac magiſtratus defendendos etiamſi litteras non didiciſſent.

Sed nec infirmioribus momentis nituntur ii, qui prudentiam exiſtimant in conſiliis virtuti anteponendam, hiſque rationibus moueri ſolent. Etenim ſi Prudentia eſt ſcientia rerum expetendarum & fugiendarum, qui ea valet, eſt vtique aptiſſimus ad capiendum conſilium, quod verſatur in delectu rerum expetendarum, & fugiendarum.

Ea quoque pars animi in qua eſt habitus Prudentiæ ab Ariſtotele conſultatrix, ſeu apta conſiliis appellatur.

Nec viri hebetes rerum imperiti, ac rudes, quamuis boni ſint, vllo pacto ad conſulendum ſunt idonei.

Adde quod vir prudens poteſt amicis ſaltem conſilio prodeſſe; vir autem bonus ſine prudentia, ne iis quidem, quos diligit poteſt conſilio ſubuenire.

Quamobrem virtus ſine prudentia in conſiliis nullius eſt momenti: Prudentia

verò ſine virtute plurimum valet.

Quid igitur in re admodũ dubia ſtatuendum? Prudentiam in conſiliis vt præferamus, multa ſuadent, ſed in primis quod appetitio eſt finis, conſultatio eſt de mediis. Sed virtus perficit appetitum qui eſt finis; & prudentia perficit vim conſultandi, quæ eſt de mediis; ergo vt in fine optimo proponendo, virtute in primis eſt opus, & non prudentia, ſic ad inuenienda media quæ ducunt ad finem, præcipuus vſus eſt prudentiæ & non virtutis.

Deinde cum ad aliquem effectum ſint neceſſaria duo: ſi alterutro carendum ſit, præſtat ei deſtitui, quod exigitur antecedenter, quam eo quod formaliter, & immediatè conuenit ad productionem illius actus. Hic enim præcipuè attribuitur cauſæ, quæ formaliter, & proximè facit ad productionem illius, quæque magis neceſſaria eſt. Huiuſmodi verò Prudentia eſt, quæ proxime producit conſilium nec virtus niſi remote de mediis eſt. Ita in medico præcipuè requiritur peritia non probitas, & beneuolentia; quia peritia formaliter, & proximè exigitur ad medendum; probitas verò, & beneuolentia ſolum antecedenter. Pari modo in Imperatore præcipuè laudatur peritia rei militaris, iuſtitia neutiquam. nam peritia rei

militaris proximè conducit ad finem conſequendum ſcilicet victoriam; iuſtitia verò non niſi antecedenter, & remote. Secus in præfecto ærarii præſtat probitas, & fides, & tantum ſecundariò ſcientia; quia ad cuſtodiam ærarii fides proximè, & immediatè deſideratur, ſcientia autem remotè. Ariſtotelis hanc fuiſſe mentem conſtat. Poſtquam enim docuiſſet tria eſſa neceſſaria, ei qui gerit Magiſtratum, amorem in Rempublicam, vim muneris obeundi, virtutem, ac iuſtitiam, ſubdit hanc queſtionem. Cum hæc tria non reperiuntur in eodem, vt plurimum accidit, quid eorum magis eſt eligendũ. Exempli gratia: eſt aliquis Imperator peritus, ſed improbus: alter bonus, ſed rei militaris rudis: quiſnam eorum eſt eligendus? illud verò docet magis eligendum, cuius minus homines natura participes ſunt, & quod rarius & infrequentius inuenitur. Ideoq; in deligendo Imperatore potiùs eſſe ſpectandam peritiam rei militaris, quam probitatem, quandoquidem rei militaris peritia in paucioribus reperitur, & Imperator maiori peritia indiget, quàm ſit ea quam vulgo homines habent: virtus verò communis eſt omnibus.

Ex his conſtat in conſiliis prudentiam virtuti eſſe anteponendam; quoniam bo-

nos viros plures, & facilius inueniemus, quàm prudentes, ac idoneos ad dandum conſilium.

Neque obſtant autoritates Ariſtotelis,& Platonis in contrarium allatæ. etſi enim concedimus improbitatem armis inſtructã eſſe rem maximè pernicioſam, negamus tamen illam inſtrui armis ab ipſa prudentia. Nec Ariſtoteles libro primo de Republica huic ſententiæ repugnat; vbi non de habitu prudentiæ, ſed de vi quadam, ac mentis acie nobis à natura ingenita ſermo eſt.

Nec obſtat Auctoritas Platonis 3. de legibus affirmantis improbitatem eſſe omnium peſſimam. Eius enim nomine imprudentiam intelligit, quæ vitij nomine venit, in quantum prudentia, & virtus ſunt neceſſariò coniunctæ. Quando igitur vetat improbis committi magiſtratus, imprudentes intelligit; etiamſi doctrinis ſint exquiſitiſſimis exculti, nempe Mathematicis & Phyſicis.

CAPVT DECIMVMQVINTVM.

De Beneuolentia Conſiliarij in eum cui conſilium datur.

HActenus de prudentia, & virtute conſiliarij, nunc de eiuſdem beneuolen-

tia in eum cui conſilium datur, ne quidquam eorum omiſerimus, quæ conſilium danti fidem conciliant.

Adiuuatur autem conſilium beneuolentia in eum, cui conſilium datur. Qui enim alium conſilio iuuat, neceſſe eſt ei velit benè. Sed diligentia conſiliis non adhibetur, niſi beneuolo id fiat animo. At dicet aliquis. ij qui de rebus dubiis conſultant ab amore, odio, ira, miſericordia vacui eſſe debent, quandoquidem eiuſmodi animum occæcant, quare conſilium beneuolentia in eum, cui conſilium datur, potius impeditur, quam iuuatur.

Et Ariſtoteles initio Rhetoricorum monet, amore odio iudicium impediri, adeoque melius eſſe ferè omnia legibus definiri, & quam pauciſſima iudicum arbitrio relinqui. ſiquidem ij, qui leges condunt, iudicant de futuris. Iudices autem de præſentibus, quorum amor atque odium plerumque officit iudicio. Vnde Rhetoricorum libro 2. repetit, non videri eadem iis, qui irato, & iis qui placato ſunt animo, ſed magnitudine diuerſa. Nec dubium eſt, quin amor, & omnis animi affectio iudicium corrumpat perturbet, atque in alteram partem impellat.

Sed abſit beneuolentiam, quæ ſeiuncta eſt à perturbatione, & amicitiam, quæ aut

eſt virtus, aut proxima virtuti, iudicium hebetare putemus, quum maximè acuat. Beneuolentia enim actum voluntatis, non paſſionem appetitus ſignificat: ideoque amor amicitiæ, non concupiſcentiæ appellatur: Iamque vſu conſtat diligentiores, ac vigilantiores ad conſulendum, eſſe omnes in eos, quorum rebus ſtudent. Accedit conſiliarij beneuolentiam cum prudentia, & virtute coniunctam.

Hic quæritur, quale eſſe debeat temperamentum conſiliarii. reſpondetur, quod conſiliari temperamétum eſſe deberet moderata ſpeculatio Principis, cui aſſiſtit. ſcilicet cognitio magis rerum agendarum, quàm propenſionis ipſius Principis. Nam ita veriſimile eſt miniſtrum fidele, ac ſalutare daturum eſſe conſilium, & locuturum magis ad veritatem, quàm ad aſſentationem, & adulationem.

Conſtat igitur, de quibus homines conſulunt, & cuius ſit conſilium dare; ſupereſt officium eius, cui conſilium datur.

Hæc enim tria arcto nexu ita ſociantur, vt ſine eorum notitia conſiliarij officium non poſſit intelligi.

Is verò, cui conſilium datur plerunque peccat. quod ei aut voluntas deeſt, aut iudicium, aut animus.

Voluntas in conſiliis auſcultandis, iudi-

cium in iis, quæ alij conſuluerint iudicandis: Animus in iiſdem celeriter percipiendis, & fortiter exequendis. Hæc enim tria maximè neceſſaria ſunt ei, qui Rempublicam adminiſtrat.

Porrò qui ſuo conſilio freti, aliorum conſilium dedignantur, aut negligunt, in magno errore verſantur. Nemo enim eſt tam lynceus, vt videre omnia vnus poſſit, aut inſigni adeo perſpicacia, vt aliorum admonitionibus non adiuuetur.

Negliguntur autem aliorum conſilia, vel confidentia eorum, qui multum ſibi de ſuo iudicio pollicentur; vel diffidentia eorum, qui ad ſuſpiciones proni; quales præcipue homines praui, qui cùm cuncta feriant, cuncta etiam timent, & de quocunque diffidunt; vel denique egregia indole, ſed maturitate, & prudentia nondum ſubacta, qualis eſt in adoleſcentibus.

Confidentes Principes, qui nimium de ſuo iudicio ſibi promittunt, monitum illud mente habeant; memento, quod es homo; ad coërcendam nimiam de ſe cõfidentiam. ſic enim non exiſtimabunt, ſe omnia poſſe inquirere, & inuenire ſine aliorum lumine, & auxilio. Illud pariter animo verſent: memento quod es Deus, vel vice Dei, vt coërceant nimiam licentiam. Confidentes autem, qui impunè agendo quodcunque

libet optimum exiſtimant, inconſultis omnibus decernunt,& ſequuntur,ſimiles ſunt cæcis robuſto corpore præditis, qui quò maiore impetu feruntur, eò vehementius impingunt, & grauiores offenſiones patiuntur. Diffidentes,& ſuſpicioſi, qui ſemper cauent ne decipiantur, ſimiles ſunt iumentis,quæ ſunt viſu hebetiore. Nam ſicut illa, quò ſuſpenſiore gradu, ac timidius incedunt, eò facilius labuntur : ita etiam homines ſuſpicioſi, quò ſibi cautiores videntur, eò facilius decipiuntur.

Adoleſcentes indole egregia, ſed nondum maturitatem adepti, qui negligunt aliorum conſilia peccant ingenio nimis elato, & rerum agendarum imperitia. Nemo autem ſiue confidens, ſiue diffidens, ſiue elati ingenij, & rerum agendarum imperitus ſibi perſuadeat, ita ſe præſtare cæteris, vt multorum conſilia non præpolleant.

Hinc ſapientiorum Principum diligentia in explorandis aliorum ſententiis, vt alij noctu veſte mutata in tabernis, ac diuerſoriis vulgi de ſe ſermonibus interfuerint. Qualiter veteris Parmæ, & Placentiæ dux ſapientiſſimus, quem conſiliarium Principum appellare ſolebat Alphonſus ſecundus Eſtenſis, Parma ab hoſtibus capta clam arreptis equis Lutetiam Pariſio-

rum aduolauit, vt Regis fidem, & auxilium imploraret.

Rex aberat: Interim Octauius in taberna quadam delituit; & variis hoſpitum ſermonibus de bello Parmenſi omnibus ignotus interfuit, & Principum conſiliarius non neglexit infimæ etiam plebis libera conſilia. Aduentante Rege proſiluit, & Gallorum manum in Italiam traduxit. Alij quæ exequi cogitabant longè ante vulgauerunt, vt vulgi de iis opinionem explorarent, vti pictores, qui exponunt tabulas populi oculis.

Quare vt quiſque ſapientiſſimus conſultoribus delectatur, ſic eos libenter audit; contra verò ad pauca reſpicientes, facilè ſententiam ferunt, & liberè monentibus iraſcuntur.

Quod ſi ratione diſtinguimur à cœteris animantibus, quid dignius homine, quàm multorum rationes in vnum conferre, vt ex collatione omnium, quod ſit optimum ſecernere valeat?

Non defuerunt tamen quibus Principi parùm vtiles viſi fuerunt conſiliarij: quandoquidem non rarò deteguntur imperij arcana. Cui malo, ne vnius quidem conſilio, quod à Gallis dicitur Conſiglio di Cabinetto, ſuccurritur. Curatio enim iſtæc periculoſa, & ſæpe morbo ipſo deterior.

Nam garrulus, & Ambitioſus, qui gratiam Principis oſtentat, grauius affert detrimentum, quàm multi, quos fides, & taciturnitas longa experientia commendarunt, vt verè iſtiuſmodi conſiliarij loco, quo vnus tantum admittitur dictum illud poſſet inſcribi.

Plenus rimarum ſum, hac ac illac perfluo. Nec alieno conſilio parum Principis auctoritas minuitur. ſocij namque imperij eum regimini ineptum oſtendunt. Vt ſileam quòd conſiliarij infidi ſæpi magis commodo proprio, quam Principis conſulunt.

Hæc tamen non ſunt tanti ponderis, vt bonos conſiliarios ex aula remoueant. Neque enim Prudentis eſt Principis omnia conſiliariis committere. Neque eſt neceſſe quod is, qui conſilium petit, declaret quid ipſe agere velit.

Caueant autem Principes ne ſua ipſi culpa credant arcanos ſenſus, quos non debent, vel quibus non debent.

Sed nec ea ratione minuitur Principis auctoritas. Huius namque eſt inuenta iudicare, ac iudicata præcipere, poſtquam conſiliarij inuenerunt ea, quæ ſunt ad finem; niſi conſiliariorum aliquis nimia valet auctoritate, aut omnes conſiliarij nimis arcto vinculo amicitiæ vniuntur. Nec rara

adeò bonorum ſeges, vt non inuenientur quidem natura veraces, fidi, ſinceri, digni, qui à Principibus ad conſilium admittantur. Immò conſiliarij rarò ſolent eſſe ita concordes, vt vnus eſſe non poſſit ſpeculator, & explorator alterius.

Eos autem Princeps audiat modò coniunctim, modò ſeparatim. ſeparatim, quia opinio priuata eſt liberior. Cõiunctim quia opinio publicè promulgata eſt reuerentior. Separatim homines etiam ſunt audaciores; coniunctim magis ſeruiunt auribus, & affectionibus eorum qui adſunt.

Hominibus inferioris ordinis potiùs ſeparatim eſt vtendum, ne iis propter timorem dicendi libertas auferatur. Superioris ordinis coniunctim potius Princeps conſulat, vt ſibimet reuerentiam conſeruet.

CAPVT DECIMVMSEXTVM.

Sintne Conſiliarij viui mortuis præferendi?

NVm verò Conſilia mortuorum ſint conſiliis viuentium præferenda, non immeritò dubitatur. Quum enim Conſiliarii ſæpè blandiuntur ideò vere dictum fuit. Optimi Conſiliarii mortui. Itaque Principi conuenit libros euoluere, & præſertim eorum, qui viuentes in huius vitæ ſcena in-

duſtrii fuerunt actores.

Eadem ratione vtile eſt legiſlatores, qui etiam alieno ſeculo iura dant, ferè omnia decernere, & pauca relinquere decernenda iudicibus; qui coràm ſententiam ferunt amore vel odio. Sed de iis, quæ à conſultoribus adferuntur iudicare, & eligere quod eſt optimum, munus Principis eſt; qui diligenter animaduertere debet an conſiliarii, qui ſe Domino conſulere profitentur ſibi ipſis verius conſulant. Propterea quidam interrogatus de quibus nam Princeps debeat iudicare; reſpondit non ſatis eſſe Principem de rebus, niſi etiam de perſonis; iudicium faciat. Qui verè id negligit Princeps imperij ſui fundamentum conuellit. Et vt domus, ac nauis citò ruit, ac labitur: ſic regnum diuturnum eſſe non poteſt, niſi nitatur firmiſſimo fundamento iudicii.

Quod ergo optimum eſt iudicabit, atque eliget Princeps. conſulendi ſtudium, iudicium, & electio nihil valebunt, niſi etiam animus adſit paratus ad ea, quæ quis inuenerit, iudicauerit, elegerit, celeriter precipienda, & fortiter exſequenda. Conſultationis enim finis eſt actio, ſucceſſu autem carent benè ſæpe deliberata, culpa eorum, qui ea ſegnius ac Timidiùs exſequuntur. Propterea Thucydidis monitu, nemo ea virtute rem exſequitur, qua fide deliberat;

quia ſecurè de futuris ſentimus, ſed præ timore actio deficit. Cauenda tamen nimia celeritas præcepti, quæ ſimilis eſt digeſtioni nimis preparatæ, cuius vitio, ſi medicis credimus, corpora replentur cruditatibus, & variis ſeminibus morborum. Sapiens quidem diceret ſolebat, cum homines nimis celeriter ad concluſionem feſtinabant, pauliſper immoremur, vt poſſimus citius abſoluere.

Sed nolo tua, Lector, abuti patientia.

FLAVII QVAERENGI, POIAGHI COMITIS, & Canonici Patauini.

DE HONORE.

In primo agitur de Honore Ciuili.
In ſecundo Iniuriæ declarantur.
In tertio Inimicitiæ explicantur.
In quarto Singulare certamen euertitur.
In quinto Pacis conciliandæ ratio traditur.

Digitized by Google

Sereniſſimo

ODOARDO FARNESIO, PARMÆ ET PLACENTIÆ DVCI.

FLAVIVS QVERENGVS, POIAGHI COMES, & Canonicus Patauinus.

IVre tibi, ODOARDE, *Dux Sereniſſime, debetur de Honore Liber, quem nuper à me ſcriptum offero nomini tuo. Quid enim Principi conuenientius offertur, quàm quod de Honore? Lapis qui & Lydius, & index dicitur, attritu aurum atque argentum, cuiuſmodi ſit, arguit; ſunt Principes eorum, quæ de Honore traduntur, admodum acres, atque exacti judices, quantum auri ſit in hiſce traditionibus, quantum argenti, vel æris, mirabili ratione non fallente, protinus judicant, & penes eos judicandi autoritas eſt. Sunt namque Honoris arbitri, Nobilitatis conſeruatores, autores dignitatis, ſunt rerum ciuilium menſura: Honor, Nobilitas, Digni-*

tas, æſtimatione Principum æſtimantur & ponderantur. Quare tibi, & docto, & Principi conuenientiſſimum offero de Honore librum: ſed timidè, & verecundè offero; nam vt ait ille:

Pagina judicium docti ſubitura mouetur
Principis, vt Clario miſſa legenda Deo.

Scribimus aduerſus homines audaces, & timidos; quorum vni ſi lædantur, Prompti arma capiunt vltionis libidine; alteri afflicti iniuriis ſupplices confugiunt ad judiciorum aſylum, & Principis officium implorant. Vni furorem contegunt larua exiſtimationis mendacis; alteri ignauiam ſimulata legum reuerentia. Quantum ſit in hoc opere aureæ veritatis, tuum erit, magnanime, & fortis ODOARDE, *judicium, cum nemo poſſit de Honore certiorem, ac veriorem, ferre ſententiam.*

FLAVII QVAERENGI LIBER I.

De Honore Ciuili.

HOnoris nomen modò conceptum alicuius Excellentiæ, modò ſignum dicti conceptus ſignificat. Hinc tot ſpecies honoris emanant, quot ſunt genera bonorum; de quibus conceptus, ſigno aliquo ſenſibili demonſtrabilis, haberi poteſt. Ideoque iuxta hanc nominis acceptionem etiam diuites, nobiles, & in aliquo Celſitudinis gradu collocati, ſunt honore digni: quamuis eius modi honor preſſiori locutione potius laus dici mereatur. Hæc enim bona, non ſui gratia tenentur, ſed aliò referuntur. Differunt autem bona laudabilia ab honorabilibus in hoc, quod bona laudabilia aliò referuntur, honorabilia autem ſunt gratia ſui.

Honor latè ſumptus, propriè loquendo dicitur conceptus, & non opinio Excellentiæ. Nam opinio eſt aſſenſus incertus: conceptus verò abſtrahit à cognitione cer-

ta & incerta: vnde diuinæ Excellentiæ, cui potiſſimùm debetur honor, habetur conceptus, id eſt, certa ſcientia, & non opinio. Honor, vt ſignum eſt præmium virtutis, tributum præcipuè à congruente eius judice, vt Principe, viro probo; vt eius virtus refulgeat; ceterique eius exemplo ad virtutem inuitentur. At quoniam Excellentia in bonis animi præcipuè conſiſtit; ideo honoris appellatione intelligi ſolet conceptus alienæ virtutis (tam contemplatiuæ, quàm actiuæ) & euidens teſtimonium dicti conceptus. Atque inde quemadmodum virtus ſpectari poteſt in triplici ſtatu, diſpoſitione, habitu, & actu; ita triplex honor reſultabit; quorum primus, & præcipuus actui, ſecundus habitui, tertius diſpoſitioni defertur.

Nos, qui honoris tantùm ciuilis naturam inquirimus, non de conceptu cuiuſcunque virtutis, nec de ſigno dicti conceptus diſputabimus, ſed ſolùm de conceptu virtutis actiuæ, & de externo dicti conceptus indicio. Honoris autem cognitio non minus difficilis eſt, quàm recta eius moderatio; quantum ad diſciplinam ciuilem ſpectat. Nam ex artibus, quas exercent homines, quædam materiæ dominatur, cuiuſmodi eſt ſculptura, pictura, & aliæ, quæ in lana, ligno, & ferro occu-

pantur, quædam in materia verſantur contumaci, quæ reſiſtit artifici, quales ſunt, agricultura, ars nautica, militaris, medica, & diſciplina ciuilis.

Et quemadmodum illæ ſæpe aſſequuntur ſuum finem, ita hæ non raro expectatione fruſtrantur. Maxima verò admiratione dignum videtur, homines in cognitione rerum inutilium aſſiduè, & laborioſè detineri, in honoris diſciplina, adeo neceſſaria vitæ ciuili, ſummè negligentes. Honor quippe præmium & pretium eſt ciuile. quemadmodum enim omnia ferè, quæ homini ſunt vſui pecunia æſtimantur, ita homo ipſe honore veluti pretio: Honor itaque, vt quidam malè ſunt arbitrati, non eſt imaginarium ens rationis, politicum, aut ſagax hominum inuentum; quo ciues illecti, atque decepti vitam & opes temerè effundant; ſed naturalis quædam in mentibus noſtris impreſſiò, neceſſario facta à bonis aliorum actionibus viſu, audituque perceptis: & ſenſibilis quædam eiuſmodi in mente conceptus ſignificatio. Nec mirum ſi naturalis hominibus inſita quædam propenſio venerationis erga res, quæ ceteris excellunt; cum & bruta animantia, & elementa ipſa inanimata ſublimiora quodammodo agnoſcant, & venerentur. Quo indicio euidenti quicunque

honorantur, ſe ipſos, atque alios etiam de ſua probitate certiores faciunt, & incenduntur magis ad præclaras virtutum actiones. Huiuſmodi impreſſio, & conceptus alienæ Excellentiæ actiuæ, vel eum ſpectat, qui excellit, & de quo talis habetur conceptus, vel alios, qui alienam excellentiam ſuſpiciunt, vel denique operationes, quæ ab eiuſmodi eminentia prodeunt. Conceptus ille, ſi ad eius, de quo habetur, commodum vergit, dicitur Exiſtimatio alienæ dignitatis. ſi ad commodum eorum, qui eam habent, alienæ beneficentiæ fides appellatur. ſi denique reſpicit operationes eius, qui excellit, iudicium valoris nominatur, ſeu ſymmetriæ virium cum voluntate, vel abſoluta, vel ſaltem conditionali. Symmetria virium cum voluntate abſoluta eſt, cum quis vult, ſcit & poteſt, vt accidit, quando actiones ſunt licitæ. Symmetria virium cum voluntate conditionali eſt, cum quis ſcit, poteſt, & vellet ſi liceret, quod accidit cum actiones non ſunt licitæ.

Valor itaque iſte dirigitur ad actiones, & agendi principia, quæ ſunt in nobis, & cuncta complectitur; nimirum ſcire, poſſe, & velle. Vnde cum aliquid fieri non licet, in quo caſu recta voluntas renuit, & reſpuit illicitas actiones, valoris tamen ti-

tulus renuenti non denegatur, imò magis conuenit: ſufficit enim poſſe ac ſcire, ſi vellet agere; vellet autem ſi liceret. Vbi nolle perfectionem ipſius agentis indicat: quandoquidem ſcire, poſſe, & abſolutè velle, in licitis tantum, & honeſtis actionibus honorabile eſt. Symmetria quoque noxiarum virium ad peruerſam hominum voluntatem abſolutam, falſus eſt honor. Ideoque potius de audacia, quàm de virtute illius concipietur opinio, qui omnes iniurias nullo pacto fert, ſed ſuis viribus audacter perſequitur, atque ita alios ab inimicitiis cum eo ſuſcipiendis deterret, & propria ferocitate continet in officio.

At verò ſiquis, cum ſciat, & poſſit per ſeipſum vlciſci iniurias, id tamen omittit, quia ſcit vltionem ad hominem priuatum non ſpectare, vellet autem ſi liceret, certe hac hònoris ſpecie, quæ in iudicio de proportione virium cum voluntate collocatur, fraudari non debet. Sed quia ſcientiæ, & potentiæ, antequam effectus ſequatur, certæ, & exploratæ eſſe non poſſunt, niſi rarò; effectus autem non ſequitur quando voluntas renuit: ideò nolentes agere ferè nunquam hac tertia honoris ſpecie decorantur, quia cum difficultate cognoſcimus eos, qui non agunt, ſcire, & poſſe agere, ſi vellent, quod tamen ali-

quando ex coniecturis fit manifeſtum. Atque tunc valoris titulus illis conceditur, etiamſi non agant, quia ex aliquo argumento liquet, quod illi ſciuiſſent & potuiſſent, ſi voluiſſent, & voluiſſent ſi licuiſſet. Sed quia hæc rarò accidũt, ideo communiter loquendo illi referre hanc honoris ſpeciem dicuntur, qui difficilia incepta, quæ iuſta ſint, & conatus ad finem perducunt, vt qui in bello victoriam conſequitur, & in aliis certaminibus, præſertim iis, quæ fieri honoris cauſa dicuntur. Qui verò ad finem non perducit, referre dedecus videtur. Hinc Cæſaris milites ad Auaricum Celtarum oppidum, vt eſt apud eundem lib. 7. de bello Gall. petebant, ne oppugnationem dimitteret: ſic ſe complures annos illo imperante meruiſſe dicentes, vt nullam ignominiam acciperent, nunquam infecta re diſcederent, hoc ſe ignominiæ laturos loco, ſi inceptam oppugnationem reliquiſſent. Huic tertiæ honoris ciuilis ſpeciei non abſimilis eſt illa, quæ in litteratis hominibus reperitur, ad quos loquitur Poëta cum dicit: ſumite materiam veſtris, qui ſcribitis, æquam viribus.

Ex dictis tres honoris ſpecies emergunt, Exiſtimatio alienæ dignitatis, fides alienæ beneficentiæ, iudicium valoris, qui conſiſtit in proportione virium cum voluntate,

Et quemadmodum omnes tres ſpecies in vno communi genere conueniunt, quoniam conceptus de exiſtimatione, fide & iudicio dicitur, ita tria illarum obiecta, nempe dignitas, beneficentia, & valor conueniunt in vno communi & generico obiecto, quod eſt Excellentia. Nec ſanè in hac honoris diuiſione quicquam deficit, aut redundat. Non deficit: nam ſicut virtus quatenus afficit honoratum, non poteſt intelligi, niſi in ordine ad ſeipſum, ad alios & ad operationes, nec alius modus conſiderandi excogitari poteſt, ita, quatenus ab honorante cognoſcitur, ſpectari non poteſt, niſi ſub triplici relatione ad habentem, ad alios, ad actiones. Sed nec redundat: & quidem Exiſtimatio dignitatis, & fides beneficentiæ ſunt duæ ſpecies diſtinctæ, & non vna tantum. Nam poſſunt exiſtere ſeparatæ, vt videre eſt in inimicis, quorum quidem exiſtimamus dignitatem, eorum tamen beneficentiæ minimè confidimus, nec ab iis quicquam ſperamus boni: & ſolemus inter ſe merita, quæ proueniunt à beneficentia, & dignitate opponere, cum dicimus digniorem quidem hunc eſſe; nos tamen illi magis debere, quoniam de nobis magis meretur. Cum ergo res bona agere poſſit, non ſolùm commodi, & beneficii noſtri gratia, ſed

etiam propriæ perfectionis, hinc eſt quod de ea haberi poteſt conceptus ſine vlla relatione ad alios, & hæc eſt illa honoris ſpecies, quæ dicitur Exiſtimatio dignitatis: & erga hoſtes etiam exercetur. Nam, vt ait Marcus Tullius, eſt tanta vis probitatis, vt eam vel in eis quos nunquam vidimus, vel quod maius eſt, etiam in hoſte diligamus.

Exercetur etiam erga inferiores, à quibus vt plurimùm nulla ſperamus beneficia, & huiuſmodi honor dicitur vtilitas honorati, non honorantis, quia dignitas in ſeipſa ſpectata ſine vllo reſpectu ad commodum honorantis, illum impellit ad tribuendum digno pro menſura meritorum. Sed etiam fides beneficentiæ eſt ſpecies honoris diſtincta à iudicio valoris. Nam licet fides beneficentiæ non videatur diſtincta à iudicio valoris, quia ſi beneficentia eſt ad alios, etiam valor ad alios eſt. ſi valor reſpicit actiones, etiam beneficentia reſpicit actiones; dicendum tamen fidem beneficentiæ, & iudicium valoris eſſe ſpecies omnino diſtinctas, quia habent diſtincta obiecta, & exiſtere poſſunt ſeparatæ. Beneficentia enim ſemper eſt ad amicos, valor etiam ad hoſtes. beneficentia quaſdam tantùm actiones reſpicit, valor autem omnes.

Neque aliquis dicat Ariſtotelem I. Rhetoricorum non admiſiſſe tot honoris ſpecies, quot nos conſtituimus, ſed vnica fuiſſe contentum, ſcilicet opinione beneficentiæ, quam nos fidem appellamus. Nam cum Philoſophus loco citato dicit; honor eſt ſignum opinionis benefactricis, non vult ideò ſtatuere honorem, vt eſt conceptus, ſemper in opinione beneficentiæ conſiſtere, ſed vult dicere honorem vt ſignum, nunquã ab opinione beneficentiæ ſeiungi, & eſſe accidens proprium, & inſeparabile illius. Quod dici non poteſt de conceptu dignitatis, & valoris, quia conceptus dignitatis, & valoris etiam erga hoſtes exercetur, quos rarò, aut nunquam honoramus ſigno honoris externo. Quare licet honor extrinſecus poſſit eſſe ſignum conceptus, qui habetur de dignitate, & valore alterius, ſæpe tamen & dignitas, & valor hoc extrinſeco ſigno priuantur, quod non accidit in conceptu beneficentiæ, cuius tanta eſt vis, vt eam ſemper honor extrinſecus ſubſequatur.

Quod animaduertens Ariſtoteles, dixit honorem eſſe ſignum beneficentiæ, quia beneficentiæ præcipuè defertur. Sed hunc Ariſtotelis locum, aliorum pace dixerim, nemo ad hæc vſque tempora intellexit, ad quẽ, veluti immanem ſcopulũ omnes inge-

nioſi naufragium fecêre; exiſtimantes Ariſtotelem non agnouiſſe aliam honoris ſpeciem præter opinionem beneficentiæ. Quod tamen eſt falſum, vt clarè patet ex eodem loco Ariſtotelis. Ibi enim antequam definiat honorem vt ſignum, docet gloriam eſſe virtute præditum ab omnibus iudicari, vel tale aliquid in ſe habere, quod omnes expetant, aut multi, aut boni viri, aut prudentes, quod idem eſt ac ſi dixiſſet, gloriam eſſe iudicium alienæ virtutis, & excellentiæ, quæ non ſolùm de beneficentia, ſed etiam de aliis virtutibus dicitur. At quoniam gloria non differt ab honore, vt eſt conceptus, quod etiam nonnulli ex recentioribus confeſſi ſunt, qui gloriam pro bona exiſtimatione & bonam exiſtimationem pro gloria indifferenter vſurparunt, ideò colligitur Ariſtotelem nullo modo honorem pro conceptu ſumptum intra anguſtos limites opinionis beneficentiæ coactare voluiſſe, ſed eum extendiſſe ad quamlibet opinionem cuiuſcunque virtutis, & excellentiæ; Ariſtoteles autem honorem pro conceptu ſumptum gloriæ nomine appellauit, vt eum ab eo, qui eſt ſignum diſtingueret. Bonus itaque conceptus, in quo conſiſtit honor, non eſt tantùm beneficentiæ, ſed etiam dignitatis, & valoris alicuius. Sed

etiam modus loquendi Ariſtotelicus (honor eſt ſignum opinionis benefactricis) fuit alter ſcopulus, ad quem cuiuſdam ex recentioribus impegit ingenium. Dicens honorem ſignum eſſe opinionis, quæ eſt in honorato, & non in honorante. Et quidem cum illa particula (benefactrix) ſit in honorato, vt omnes concedunt; ſiquidem ex beneficentia, quam conſpicimus non in nobis ſed in aliis, incipimus illos aliquo ſigno externo honorare; videretur dicendum quod etiam illa particula (opinio) ſit pariter in honorato. Nam vbi eſt prædicatum, ibi etiam eſt ſubiectum, vt exempli gratia; cum dicimus paries albus; vbi eſt albedo, quæ denominat parietem, ibi etiam eſt paries, qui denominatur ab albedine. pariter & hic, vbi eſt beneficentia, quæ denominat opinionem, ibi etiam videretur eſſe debere opinio, quæ denominetur ab ipſa beneficentia. Contraria tamen ſententia verior. Nam opinio eſt in honorante, & beneficentia eſt in honorato; ideoque honoramus alios, quia nos opinamur illis ineſſe virtutem benefaciendi. Ariſtotelis hæc quoque mens eſt. honor eſt ſignum opinionis benefactricis, id eſt, ſignum opinionis de alterius beneficentia: quando nempe homines opinantur, quod ille qui

honoratur, poſſit benefacere. Quod italicè diceremus *l'honor è vn ſegno d' eſſer in concetto di poter far del bene.* quare opinio hîc accipitur paſſiuè, & intelligitur de opinione, quæ habetur de alio; qualiter & dicimur timere opinionem, quando veremur nos exiſtimari malos.

Dicimus igitur opinionem eſſe in honorante, & non in honorato: honor enim omnium conſenſu eſt in honorante, vt in ſubiecto, & cauſa efficiente, neque dicitur eſſe in honorato, niſi impropriè, id eſt, vt in obiecto, & fine. & quia honor coincidit cum opinione, ideo ſi honor eſt in honorante, vt in ſubiecto, & cauſa efficiente, vtique & opinio, ſiue conceptus. Sed quia hominis conceptus in eius animo abſconditus inutilis eſſet omnino, niſi omnino innoteſceret per ea, quæ exterius ſenſibus offeruntur; propterea qui opinatur, quod aliquis vir bonus ſit, eandem opinionem extrinſecus aperire debet, quadam ſenſibili ſignificatione; quod non eſt neceſſarium in honore verſus Deum, cui nihil eſt occultum.

Honor igitur, qui eſt ad homines, modò conceptum ſignificat, modò ſignum dicti conceptus: & à primo honore alter oritur. Nam à conceptu oriuntur exteriores actiones, quæ dicuntur ſigna, quan-

doquidem opinionem ſignificant de alijs conceptam, & quidem vt ſignum dicitur teſtimonium excellentiæ, quæ eſt in homine, & maximè ſecundum probitatem. Opinioni verò de alicuius bonitate, opponitur alia de ipſius malitia; ſignis pariter, quibus ſignificamus nos opinari, quod aliquis bonus ſit: (vti caput aperire, genu inflectere, & ſimilia) opponuntur contraria, quibus ſignificamus nos opinari, quod aliquis ſit malus; (cuiuſmodi ſunt digitum mordere, caput agitare) Malignitas, inuidia poſſunt dici ſpecies, honoris: ſunt enim ſigna noſtræ excellentiæ.

Non enim maligni, & inuidi nobis aduerſarentur, niſi viderent aliquam excellentiam in nobis. Odium, indignatio opponuntur, & ſunt ſigna noſtræ improbitatis: non enim homines nos odio haberent, & indignarentur, quod ſimus diuites, & potentes, niſi eſſemus improbi: quod malignitas, & inuidia ſint ſpecies honoris; odium verò, & indignatio contra, nemo conſiderauit, nos id excogitauimus.

Quot etiam ſunt ſpecies honoris ſumpti pro conceptu, totidem quoque accuratè loquendo, ſunt ſignorum ſpecies; quibus ille exprimitur: licet quandoque eodem ſigno externo diuerſæ honoris ſpecies demonſtrari ſoleant; ſicut eodem nomine

ſolemus aliquando res diuerſas ſignificare; cùm plures ſint res, quàm vocabula. Eſt autem honor, vt diximus præmium, & pretium ciuile; quia in homine æſtimando ſuccedit loco pretii: & quidem primò eſt pretium eius, qui honoratur. Hinc fit, vt homines, qui putant ſe eſſe pares, indignentur ſi illis par honor non redditur; & etiam excandeſcunt magis, nam ſi ſint ſuperiores dignitate, non ſolùm veluti pares, ſed vt inferiores habentur: quam indignationem, & excandeſcentiam aliorum Aulici euitare ſciunt. cum ars illorum in eo ſit poſita, vt æquales, tanquam ſuperiores obſeruent, inferiores verò tanquam æquales; quo pacto ſemper alterius dignitatem augere ſtudent, & honoris, qui inter homines plurimi fit, liberales, immò prodigi exiſtunt; dictum illud perpetuò habentes præ oculis, quod hominum ordo, & ſtatus non aurificis ſtatera, ſed quadam populari trutina ſit examinandus.

Honor prætereà videtur etiam eſſe pretium eius, qui honorat: vnde ſigna opinionis de probitate, aut dignitate, ſi à duobus vnà deambulantibus paria reddantur alicui, oſtendunt honorantes, dignitate eſſe pares. ſi verò imparia ſunt, ſignificant eos impares eſſe, vt exempli gratia;

tia ; cum vnus illorum caput aperit, & genu flectit, alter verò vix mouetur. Honor, & quatenus eſt conceptus, & quatenus ſignum dicti conceptus longè clarior eſt probitate, quia honor ſemper, quocunque modo accipiatur eſt menſura probitatis; menſura autem eſt notior menſurato. Conceptus eſt probitatis, & virtutis menſura; qui enim quempiam concipit ea eſſe probitate, & virtute, vt ſummo magiſtratu, vel ſtatua, vel corona dignus ſit, ſuo conceptu, qui eius eſt honor, eiuſdem dignitaté pendit, atque metitur. Cum ergo tacitus hæc ipſe mecum concipio de alio, illius apud me dignitatem perpendo, & metior: quam dum aliquo honoris ſigno etiam prodo, meum conceptum ſimul aliis demonſtro, & ſignificatione ſenſibili alterius metior probitatem. Et licet potius videretur dicendum, quod probitas ſit menſura honoris, & non contrà.

Nam ſicut ſcibile eſt menſura ſcientiæ, vt docet Ariſtoteles. 5. Metaph. ita quod mente concipitur, ſcilicet probitas, deberet eſſe menſura conceptus; qui eſt honor, oppoſitum tamen eſt veriſſimum; & ratio diſparitatis eſt: quia ſcientia eſt neceſſaria, vnde quoque ſequitur conditionem obiecti, & ab eo accipit regulam, & menſu-

ram. At conceptus eſt voluntarius, & propterea honor, qui eſt conceptus, dicitur menſura probitatis, quia eſt in arbitrio honorantis concipere ineſſe in eo probitatem, in hoc, vel illo gradu, eamque pari ſignificatione ſenſibili aliis oſtendere, & demonſtrare. Nec vlli dubium eſſe debet, conceptum de alterius probitate eſſe voluntarium, & potius à noſtris affectionibus, quàm ab obiecto pendere. Non enim ſemper, qui honorat iuſta lance ponderat probitatem eius, qui honoratur. Nam aut amore impulſus pluris facit, quàm æquum ſit, odio adductus minoris. Et quia honor eſt menſura noſtræ probitatis: quippe in qua examinanda, & metienda totus conſiſtit, ideo nobis eſt gratiſſimum honorari, præſertim à viris probis, & ſtudioſis, qui ſunt recti iudicij, & exacti cenſores meriti, idque in conſpectu omnium: ſic enim quantitas virtutis magis, & melius indicatur.

Et quidèm probitatis menſura honor eſt, quocunque modo ſumatur, ſiue quatenus exiſtimatio dicitur, ſiue quatenus dicitur fides, ſiue quatenus eſt valoris iudicium, Exiſtimatio enim eſt menſura probitatis, in quantum probitas eſt principium accipiendi commoda ab aliis, hoc eſt, cuius intuitu nobis tradi commoda de-

bent, quæ propriè dicitur dignitas: fides eſt menſura probitatis, in quantum illa eſt principiun tradendi commoda aliis, quæ propriè dicitur virtus ad alterum. Iudicium valoris eſt menſura probitatis, in quantum illa includit omnia agendi principia. Vnde ſicut ille, qui meritorum, & dignitatis noſtræ magnitudinem ignorat, exiſtimationem intuetur, tanquam indicem, & menſuram; ita qui ignorat, quanta ſit beneficentia noſtra, quæ ſolet indigentibus opem ferre, qualem, & quantam fidem alij nobis habeant, conſiderat: & qui neſcit quanta ſit proportio virium noſtrarum, cum voluntate, intuetur iudiciũ, quod ab aliis fit de valore, qui eſt in nobis.

Cum autem dignitas notiſſima eſt, vt in Principibus contingit, ex ea inferri poteſt, quanta exiſtimatio tali dignitate præditis debeatur. Pariter ſi beneficentia perſpectiſſima eſſet, aut valor notiſſimus, ex his appareret, quanta fides habenda eſſet iis, qui tali virtute ſunt ornati, & quodnam iudicium de eorum viribus fieri deberet. Nam ſicut in menſuris, ſi ad paſſus longitudinem ducitur linea, viciſſim paſſus quantus ſit ex ea cognoſcitur, quandoquidem linea in pariete eſt menſura menſuræ. ſic etiam quandoque dignitas, beneficentia & valor ita ſunt nota, vt ex iis inferri

poſſit, quanta ſit exiſtimatio, & quanta ſi fides, quantum etiam valoris iudicium, quæ honoratis iure debentur. Qua ratione menſuratum fungitur menſuræ officio.

LIBER II.

De Iniuriis.

DE Iniuriis, ex quibus inimicitiæ, naſcuntur, agemus primo loco; ſecundo de Inimicitiis; tertio de ſingulari certamine, tanquam de effectu ipſius; quarto denique in modo conficiendi pacem noſtra diſputatio conquieſcet.

Si homines verè ſapientes eſſent, ſuperuacaneus foret hic labor. in quos, ſi Stoicis credimus, non cadit iniuria. ſurgit ſapiens extra omnem teli iactum, & eminet ſupra fortunam. Vlyſſes & Hercules prioribus ſeculis inuicti laboribus, contemptores voluptatis, & victores ſemper extitere. Verus ſapiens cum feris non conſerit manus, non monſtra igne, ac ferro perſequitur, nec cœlum humero fulcit; ſed cum ambitu, & cum potentiæ immenſa cupiditate congreditur, nec laceſſitus vlla afficitur iniuria. Et quemadmodum quorundam lapidum inexpugnabilis ferro du-

ritia eſt, nec poſſunt igne conſumi, ſed rigorem ſuum habitumque conſeruant; proiectique in altum ſcopuli mare frangunt, nec ipſi vlla ſæuitiæ veſtigia tot verberati ſeculis oſtendunt, ita animus ſapientis ſolidus eſt, idque roboris in ſe habet, vt tutus ſit ab iniuria.

Et licet hominum vita, qui prodeſſe ſibi, ſuiſque volunt, & vſui eſſe, ſit expoſita doloribus, damnis, & contumeliis; tamen vti luctatores ad certandum vocati proiectis altè brachiis conſiſtunt, caputque, & os ſuum manibus oppoſitis, quaſi vallo præmuniunt; ita mens ſapientis aduerſus vim, & petulantiam iniuriarum omni in loco, atque omni tempore prouida eſt, erecta, ardua, ſolida, & expedita. Quare, ſi homines ſapientes eſſent, nulli forent iniuriæ obnoxii: ſi non extarent iniuriæ, non conflarentur inimicitiæ; ſi inimicitiæ non exiſterent, nemo alterum ad ſingulare certamen prouocaret. Nec denique neceſſe foret inuenire verum modum reconciliandi eos, qui nunquam fuère inimici. Sed quis eſt hic ſapiens poſitus extra omnem iniuriam, imaginario verborum honore à Stoicis exornatus? Illi quidem magna promittunt, ſed nec credi poſſunt, nec optari. Non apud homines habitat patientia, manſuetudo, charitas, & iuſti-

tia. nam ſi ex rebus aduerſis primò procederet triſtitia, hanc moderaretur patientia, ſi deinde ira, hanc reprimeret manſuetudo, ſi poſtea odium, hoc tolleret charitas. ſi tandem iniuſtum nocumentum. hoc prohiberet iuſtitia, Ideoque veluti Medici diſputant de natura morborum, & modum tradunt recuperandæ bonæ valetudinis, quandoquidem etiamſi foret optabilius perenni ſanitate frui, id tamen homini ex contrariis qualitatibus compoſito ſperare non licet; Ita nos cogimur de iniuria, inimicitia, duello, & pace tractare. Nam homines nec ſunt extra iniuriam, nec extra indignationem. Ab iniuria itaque, ex qua oritur inimicitia. initium ducamus. Iniuria eſt læſio ſpontanea contra ius, & voluntatem læſi. Dicitur læſio, quia aut eſt ablatio boni, aut allatio mali. dicitur ſpontanea, nam quod fit per violentiam, aut per ignorantiam, non eſt iniuria. Additur, contra ius, quia nocumentum iuſtè illatum, non eſt iniuria. Item, contra voluntatem læſi. nam in ludis quibuſdam, vt cum equites infeſtis haſtis armati concurrunt, grauiter interdum læduntur, & tamen iniuria non eſt, cum ſit ex compoſito. Huic definitioni non diſſimilis eſt illa: iniuria eſt cum lædimus ex electione non laceſſiti, cognoſcentes

quamlibet circumſtantiam. Sed melior eſt prima definitio, quia competit etiam læſioni factæ ex impetu paſſionum; nam & illa eſt ſpontanea, ſed non ex electione: & eſt iniuria minor ea, quæ fit ex electione. Irrogatur igitur homini iniuria quoties illi contra ius, & voluntatem nocumentum infertur, idque aut facto, aut verbo. Si facto; vel in perſonã, vel in res. De animo non loquimur, nam lædi non poteſt niſi per accidens, vt exempli gratia, praua educatione. Si verbo, vel in forenſi iudicio, vel extra iudicium. Facto in perſonam infertur nocumentum, homicidio, membrorum mutilatione. Facto in res nocumentum infertur, furto, quod fit inſcio Domino, rapina, quæ fit eodem conſcio ac vim patiente. Verbo in forenſi iudicio fit iniuria iudicum, & teſtium, culpa; verbo extra iudicium fit iniuria per contumeliam, detractionem, ſuſurrationem, irriſionem & maledictionem. Contumelia eſt iniuria, quæ contra honorem alterius fit. Detractio eſt famæ læſio. Honor eſt exterior reuerentia, exhibita alicui propter aliquam excellentiam. fama eſt clara illa notitia, quæ habetur de vita, & moribus alicuius. Itaque poteſt eſſe honor ſine fama, & è conuerſo.

Exhibetur enim honor magnati quandoque propter ſanguinis excellentiam; cuius tamen morum ſiniſtra habetur exiſtimatio.

At vice verſa eſſe ſolent priuati viri in angulis latitantes ſine honoribus, quorum tamen vitæ, ac morum clara habetur opinio. Differunt igitur contumelia, & detractio, quantum ad nocumentum illatum. Quia contumelia derogat honori, detractio famæ. Contumelia propriè loquendo in verbis conſiſtit. Nam honor dupliciter tollitur; vel mediatè, vel directè, & propriè. Mediatè, dum id quod honoris cauſa erat, ſubmouetur. Qui enim diuiti ſurripit ſubſtantiam, cuius gratia honor illi debebatur, honorem eius infuſcat, ſiquidem tunc ille vileſcit. tale verò dehoneſtamentum non facit propriam ſpeciem, ſed refertur ad alias iniurias, puta ad furtum, homicidia, & reliquas ſpecies. Directè & propriè, dum quis aliquid reuelat, quod officit honori ipſius proximi. In quo propriè ratio contumeliæ conſiſtit.

Deducere autem aliquid in notitiam alterius, pertinet ad rationem ſigni; & verba quidem inter homines primum locum obtinent ſignificandi, velut indicia earum conceptionum, quæ ſunt in anima. Vnde ratio etiam contumeliæ propriè in verbis reperitur. Contumelia tamen ampliore nominis vſu etiam in factis poſita eſt, quatenus facta habent rationem ſignificandi.

Proinde ſiquis fores alienas effringit; non furandi animo, quod latronis eſt, ſed in vituperium, & vilipendium domini, fit contumelioſus: dum hoc facto ſignificat ſe dominum parui pendere: non magis enim ianuam quam domini dignitatem labefactare conatur. quod pariter de aliis ſimilibus ſtatuendum.

Præter hæc factorum genera indiferentia, ſunt aliqua per ſe ipſa contumelioſa; quia meram in ſe habent ſignificationem; vt pollicem inter duos digitos demonſtrare, aut linguam inter dentes. Ad contumeliam non ſemper neceſſarium eſt, vt vitium, quod manifeſtari volunt, ſit peccatum (quamuis huiuſmodi cõtumelia ſit inſignior) ſed ſatis eſt eſſe vitium generis, vel corporis morbũ, vel etiã defectũ fortunæ, qualis eſt paupertas aut aliud quidpiã excellentiæ contrarium, ob quam homines in honore habẽtur. Nec requiritur ad contumeliã vt vitiũ, quod obiicitur, ſit occultũ. nam etiamſi publicus concubinarius, aut ſordidè natus talis appelletur, contumelia afficitur; maior tamen eſt contumelia, ſi talia adhuc occulta detegantur; & adhuc maior ſi talia illi falsò imponantur. Quæritur vtrum ad rationem contumeliæ neceſſarium ſit, vt verba, aut facta in præſentia fiant illius, qui afficitur contume-

lia? ſic eſſe apparet ex eo, quod contumelia, & detractio non ſolùm differunt nocumento illato, ſed etiam modo: nam cum contumelia vim ſecum afferat, detractio verò ad fraudem inclinet, & dolum, ſequitur quod illa palàm fieri debeat in præſentia, hæc verò clam, & in abſentia. Quare contumelia ſimilis eſt rapinæ, quæ fit conſcio domino, detractio verò eſt ſimilis furto, quod inſcio domino committitur. Vnde contumelia, & detractio non ſolùm differunt quoad nocumentum illatum, ſed etiam quoad modum proponendi verba: quandoquidem contumelioſus manifeſtè contra aliquem loquitur, detractor verò occultè: & ſicut honor in præſentia fit; ita contumelia, quæ honori aduerſatur, debet in præſentia irrogari. vel ſi fiat in abſentia non eſt quia contumelioſus illa celare velit, vt detractor, imò ob hoc verba in abſentem iactat, vt in eius perueniant notitiam; quia eius mens eſt in os tale conuitium iactare. Suſurratio pariter eſt iniuria verbalis à detractione diſtincta. Nam quamuis tam materia remota, quàm modo proponendi verba cum detractione conueniat, fine tamen differt, & materia proxima.

Conuenit quidem materia remota, quia tam ſuſurro, quàm detractor mala in

proximum obloquitur: conuenit etiam modo, quia vterque clam, & in eius abſentia id facit, atque ideo vterque differt à contumelioſo. tamen ſi conſulamus etymologiam verborum, detractio idem eſt quod famæ ſubtractio. ſuſurratio autem ſolùm denotat ſecretam, & vitioſam locutionem, qua quis contendit non tam famæ detrahere, quàm amicitias diſſoluere; & ideo differt fine. differt etiam materia proxima, quia licet tam ſuſurro, quàm detractor mala communiter de altero loquatur, & ſic conueniat in materia remota; ſpeciatim tamen detractor illa diſſeminat, quæ verè ſint mala culpæ, nempe quibus fama commaculetur; ſuſurroni autem ſat eſt illa proferre, quæ poſſint audientis animum ab alterius amicitia diuellere, etiamſi ſit bonum, dummodo vel malum appareat, vel audienti diſpliceat. Vt ſi apud prodigum de eius amico quis ſuſurret, quod ſit parcus, & pecuniarum tenax: quo modo in materia proxima differunt. Irriſio etiam à ſupra dictis iniuriis diſtinguitur. nam iniuriæ, quæ verbis committuntur è fine, & intentione exiſtimantur, & diſtinguntur. Sicut ergo contumelioſus honori cupit derogare, & detractor famam diminuere, & ſuſurrator amicitiam extinguere; ita irriſor erubeſcentiam,

& pudorem alteri offundere, vel verbis, & dicitur irriſor, vel geſtibus, qui ſuccedunt loco verborum, & dicitur propriè ſubſannator, qui finis ab aliis quidem diſtinguitur. Differt etiam quod iniuriæ ſupradictæ ſeriò; irriſio verò ſub ioci forma ſuam tegit malitiam. quare irriſio frequentiſſimè verſatur in ironia, vt ſi deformem hominem pulchrum appellemus, & infimè natum, nobilem, & elinguem diſertum. Et irriſio etiam maior eſt iniuria, quam contumelia, & detractio: nam quod per irroniam, vel ſub riſu profertur, culpam auget, quia ex tali irriſione colligitur perſonam, quæ irridetur, nihil penitus æſtimari. quare maior eſt contemptus, vitia obiicere alicui per riſum, quàm ſeriò per contumeliam, & detractionem. At enim quoniam contumelia honori aduerſatur, & detractio famæ, deriſio autem verecundiæ: honor verò, & fama verecundia præſtant, contumelia, & detractio grauior vtaque iniuria videtur eſſe, quàm deriſio. Nemo autem peritior paulò ignorat vitiorum grauitatem inde ſemper non ſumi, vnde eorum ſpecies diſtinguntur. Secernitur enim deriſio à contumelia, & detractione ob fines diuerſos, quod ſcilicet contumelia honorem aufert, detractio famam, deriſio verò erubeſcentiam, &

pudorem efficit; grauitas tamen earum perpenditur ex maiori contemptu, qui eſt in deriſione. Eadem ratione, ſi contumelia, & detractio inuicem comparentur, contumelia grauior eſt detractione: quia in contumelia, quæ palam fit, contemptus maior eſt, licet fama, quæ per detractionem læditur, honore ſit pretioſior. Accedit quod irriſio ſemper habet adiunctam contumeliam; nam in perſona irriſi improbatur eius vitium; ſed ſingulari, & peculiari modo.

Poſtrema iniuria, quæ verbis fit, eſt maledictio. Maledicere autem idem eſt quod malũ dicere, quod tribus modis contingit. Primò ſub forma enunciationis, vitiũ alterius referẽdo, & hæc maledictio reducitur ad detractionẽ, aut contumeliã, aut ad alias ſpecies iam explicatas. Secũdò maledicere contingit per modum cauſæ effectricis aut motricis: Atque hoc propriè Deo per excellentiam competit; qui ſolo verbo condidit vniuerſa. quapropter apud Deum benedicere idem eſt, quod bonum impertire, & maledicere idem quod malum inferre.

Poſt Deum ſuo quoque gradu & ordine competit etiam hominibus, qui imperio ſuo mouent ſubditos ad aliquid exequendum, ad quem affectum exprimendum inſtituta ſunt verba imperatiui modi. Tertio

demùm modo maledicere expreſſio quædam eſt affectus deſiderantis, & huic expreſſioni verbum inſeruit optatiui modi. Qui modus propriè appellatur benedictio, & maledictio, ſcilicet boni vel mali imprecatio; & qualis bonitas vel malitia latet in voluntate dicentis, talis dicto depromitur. In omnibus porro verborum iniuriis, vt iudicetur culpa inferentis, perpendendum eſt lædentis propoſitum, & læſi conditio. quare cum patres filiis maledicunt, nullum apud ſe fouentes mali deſiderium; nulla ipſos afficiunt iniuria: quamuis conſuetudo ſit peſſima, nec conferat ad correctionem, imo iram excitet, & odium. Nec vlla eſt iniuria, imò maximum beneficium, cum alteri malum imprecamur, ſub ratione vtilis; nimirum ſi latroni, vel homicidæ ægritudinem, aut calamitatem, quibus ſalubriter caſtigati cautius ad ſe redeant. Minor autem eſt iniuria, quæ infertur per maledictionem, quàm ea quæ infertur per contumeliam, & detractionem. quia ſemper detractor, ſicut etiam ſæpe contumelioſus, malum culpæ diſpergit, ac obiicit alteri; qui autem ſimpliciter eſt maledicus non optat alteri niſi malum pænæ, puta mortem, aut varias calamitates: culpa verò malum grauius eſt, & nocentius quàm pœna. Detra-

ctio igitur, & contumelia, ceteræque iniuriæ verbales maledictione ſunt grauiores. Secundò contumelia, & detractio, vt patet ex proferendi modo, ſunt enunciationes, & aſſertiones mali. ſimplex autem maledictio merum eſt deſiderium. at peior eſt enunciatio, & aſſertio quàm deſiderium. qui enim imprecatur, non ſtatim deſiderio ſuo infert malum; ſicut qui enunciat mox ſua enunciatione cauſa eſt infamiæ.

Huic iniuriarum diuiſioni affinis etiam illa. Iniuria aut eſt in perſonam, vt verbera, aut in bona externa. ſi bona externa ſunt fortunæ, iniuria aut vi fit, vt rapina, aut dolo, vt furtum. ſin autem conſiſtunt in exiſtimatione, vilipendium eſt: hoc autem triplex. ob propriam voluptatem, & dicitur contumelia. ob alterius ignominiam: ſi geſtu, fit, deſpectio, ſi re ipſa, vocatur inſultatio; de quibus Ariſtoteles. 2. Rhet. egit. Hic poſſet aliquis dubitare, an omnes ſpecies iniuriarũ fuerint à nobis enumeratæ. At nulla hîc aſtutiæ, doli, fraudis, fictionis, ſimulationis, diſſimulationis, mendacii, & adulationis mentio; etiamſi ad genus iniuriarum ſpectant? Iſta verò non conſtituunt nouas ſpecies iniuriarum, ſed ſunt qualitates ac modi quibus inferuntur iniuriæ. Omnes

enim iniuriæ, quæ nulla vi adhibita inferuntur aſtutè, doloſè, & fraudulenter fieri dicuntur: veluti furtum, quod dolo, & inſcio domino fit, ad differentiam rapinæ; quæ non dolo, ſed vi, & & præſente domino committitur. Detractio pariter eſt iniuria doloſa, & fraudulenta. Nam in abſentia fit ad differentiam contumeliæ, quæ vim ſecum affert, quoniam fit in præſentia. Aſtutia verò conſiſtit in excogitatione ſimulatæ viæ, ſed dolus, & fraus in executione eius. & quidem aſtutia dicitur excogitatio ſimulatæ viæ, nam peccatum contra prudentiam habens aliquam ſimilitudinem eius dupliciter eſſe poteſt. Vno modo; quia ſtudium rationis ordinatur ad finem, qui non eſt verè bonus, ſed apparens, & hoc pertinet ad prudentiam carnis. Alio modo, in quantum aliquis ad finem conſequendum ſiue bonum, ſiue malum vtitur non veris viis, ſed ſimulatis, & apparentibus, & hoc pertinet ad peccatum aſtutiæ. Dolus propriè accipitur tantùm in malo, nam eſt executio aſtutiæ, quæ propriè intelligitur in malo. eſtque principaliter in verbis, vnde locutioni maximè attribuitur: eſt etiam in factis, vt in furto, itemque in corde. dolus conſiſtit quidem in executione aſtutiæ, ſicut & fraus, in hoc tamen diffe-

differunt, quod dolus pertinet vniuerſaliter ad executionem aſtutiæ, ſiue fiat per verba, ſiue per facta. Fictio eſt mendacium, quo res aliter, quàm ſit, eſſe oſtenditur, & veri facies falsò aſpergitur; hinc fingere eſt actionum principia ſua, vel alterius, ipſaſquè actiones immutare, proprii commodi cauſa, quod penitus vafri hominis, & verſipellis eſt opus. eoque differt fictio ab errore, quod is, qui errat, non decipit, ſed decipitur, ſed fictio ſemper ad fingentis commodum tendit, & ad illius, qui fallitur detrimentum: niſi ludendi gratia fictio ſit; quæ nemini nocet. Nam qui fingit ſe ſcire, quæ neſcit, velle, quæ non vult, poſſe, quæ nequit; vel contra ſe neſcire, quæ ſcit, nolle, quæ vult, non poſſe, quæ poteſt (quæ tria ad ſcientiam, voluntatem, & potentiam referuntur) propterea fingit, vt alterum ad ſua tradendum alliciat. quapropter multi ſe diuites, & amicos ſimulant, & magno deſiderio alios iuuandi teneri, vt ipſis alii proſint; qua in re, tota ferme Aulicorum facultas conſumitur. Nam geſtus ſignaque amoris, & reuerentiæ mirè exprimunt, & flagrare ſtudio videntur beneficii in alterum conferendi, & eius commodo inſeruiendi. nec deſunt, qui non idcirco fingunt, vt vnum, aut alterum fallant,

ſed vt inane probitatis aut ſapientiæ nomen acquirant: non enim virtutes ipſas, ſed earum vmbras aucupantur.

Probi autem, & prudentis hominis eſt, ita ſe gerere, vt eius potentia, virtus, & dignitas, qualiſcunque ſit, dimiſſis fictionibus innoteſcat; & hæc eſt illa virtus, quæ veritas, & candor appellatur, cuius extrema ſunt diſſimulatio, quæ ſua extenuat, & fingit non eſſe, quæ ſunt, quam in Socrate, & Scipione fuiſſe ferunt; arrogantia ſiue ſimulatio, quæ ſua amplificat, & fingit eſſe, quæ non ſunt. Veritas autem, & candor nunquam ea negat eſſe, quæ ſunt; nec affirmat eſſe, quæ non ſunt. fingunt autem homines, aut verbis, vt adulatores, qui coram laudant, clam vituperant; aut geſtu, vt qui honore, & reuerentia proſequuntur, quos odio habent; aut etiam re, vt qui ſumptuoſis veſtibus, & inſtructis ædibus alii haberi volunt, quàm ſint. fictio ergo eſt mendacium, quod defectu per diſſimulationem, & exceſſu per ſimulationem committitur. ſub qua fictione continetur aſtutia, quæ eſt excogitatio viæ ſimulatæ, item dolus, & fraus, quæ ſunt executiones eiuſdem viæ fictæ & ſimulatæ.

Non ergo fictio, ſub qua cetera continentur, conſtituit peculiares iniuriæ ſpe-

cies, ſed eſt qualitas, ſiue modus, quo iniuriæ aliis inferuntur. & hæc qualitas longè deterior eſt, quàm violentia. nam rectè Cicero. I. offic. vi, & fraude fit iniuria, fraus quaſi vulpeculæ, vis leonis videtur. vtrumque ab homine alieniſſimum, ſed fraus odio digna maiore. Adulatio etiam non eſt noua ſpecies iniuriæ diuerſa ab enumeratis, nam cum nihil aliud ſit, quàm laus ficta, & mendax, ſub fictione continetur, tanquam ſpecies ſub genere. Et eſt via quædam, & modus, quo iniuriæ inferuntur, vel in bona fortunæ; quum ipſa non ſit comes pauperum, nec attingat res aridas, & frigidas, ſed nobilibus, ac potentibus immineat: vel in bona externa, quæ conſiſtunt in exiſtimatione, qui enim aſſentatoribus aures præbet, peior ſemper euadit, atque ita contemptibilis redditur. Ita Alexander ſuſtulit Calliſthenem, & Parmenionem, qui regis vtilitati ſtudentes obiurgatoria vtebantur libertate, & Bagois, & Demetriis impune præbuit ſeſe ſubuertendum, dum adoratur, & ab illis ad barbarici ſimulacri inſtar fingitur. non eſt ergo adulatio noua ſpecies iniuriæ, ſed modus quidam, & via, qua homines aſtuti impune, imo cum præmio ceteros lædunt. poſſemus etiam dicere adulationem non eſſe iniuriam; quia vide-

tur eſſe ſignum timoris, & reuerentiæ: vbi verò eſt timor, abeſt contemptus, ſine quo non fit iniuria. adde quod iniuria, vt ex definitione patet, eſt læſio ſpontanea contra ius, & voluntatem, læſi. quod certè non expectandum ab adulatione, quandoquidem nemo cõtra voluntatem: ſed nimio amore ſui libenter aperit aditũ aſſentatoribus, iiſque vehementer gaudet: nec volenti fit iniuria. Idque non ſolùm accidit in adulatione illa excuſabili, quæ fit non ex praua intentione, ſed ſolùm affabilitatis, & humanitatis gratia. verùm de ea etiam, quæ inexcuſabilis eſt, vt cum ſcelus aliquod laudatur in Principe, vel cum laudamus alios, vt decipiamus, vel cum noſtris laudibus eoſdem ad malè agendum prouocamus. Nam, vt diximus, etiam hæc poſterior adulatio non videtur læſio contra voluntatem læſi. hinc aliqui non temerè confinxêre, quod cum fuerit priſcis illis temporibus conſtitutus iudex aduerſus aſſentatores, nemo fuit, qui illos in ius vocare voluerit. hoc tamen accuratè phiſophantibus à veritate alienum videtur. Adulatio enim non diſplicet, quia eſt occulta; quod ſi detegeretur, minimè placeret; neque dici poteſt non eſſe contra voluntatem læſi, nam læſus illam non admitteret, ſi illam agnoſceret. Quemadmodum enim,

qui ex ignorantia plumbum accepit ratus eſſe argentum, non dicitur voluntariè accepiſſe; ita qui fictas laudes admittit exiſtimans veras eſſe, non dicitur ſponte adulatoribus aures præbuiſſe. itaque cenſendum quidem adulationem non eſſe iniuriam ſpecie diſtinctam ab enumeratis, ſed modum, & qualitatem iniuriarum. Dubitabit fortaſſis ingenioſus, quænam iniuria ceteris omnibus grauior ſit? de iniuriæ verbis illatæ ſpeciebus inter ſe comparatis non hic ſermo eſt. nam huic interrogationi iam ſatisfecimus, cum ſpecies iniuriarum, quæ verbis concipiuntur, explicaremus: ſed ſumimus omnia prima genera, & capita iniuriarum, & quærimus, quænam ſit maior iniuria; an ea quæ facto fit, in perſonam, an illa quæ facto fit in res noſtras; an denique illa, quæ vulgo dicitur verbalis, & qua præcipuè læditur exiſtimatio. Reſpondetur quod maior omnium eſt iniuria, quæ lædit exiſtimationem: hæc autem abſolutè loquendo verbis committitur quamuis enim etiam iniuriæ, quæ facto in perſonam, & res inferuntur, poſſint lædere exiſtimationem, & eſſe ſigna contemptus, tamen id non accidit ſemper; nam etiam ſæpe afferunt tantùm dolorem, & damnum. At iniuria verbalis à læſione exiſtimationis nunquam

ſeiungitur. Secundo loco ſuccedit iniuria, quæ facto infertur in perſonam. Tertio loco ea, quæ facto infertur in res noſtras, honorem quippe vitæ, & diuitiis eſſe præferendum cenſent omnes ſapientes. Seneca viros generoſos magis mouent contumeliæ verborum; Pacuuius, patior facilè iniuriam, ſi eſt vacua à contumelia: ſed Seneca non videtur ſibi conſtare, nam in ſuo libro de Conſtantia Sapientis, cap. 10. hæc habet: contumelia eſt minor iniuria, quam leges quoque nulla dignam vindicta putauerunt. ſed parcat nobis Seneca contumelia eſt maxima iniuria, quia per eam honor læditur. ad illud, leges illam non puniunt, reſpondetur, Iudices reſeruare contumeliam pacis arbitris, vt ad eam delendam tanquam grauiorem concurrat etiam pœnitentia lædentis; quamuis vulgares homines magis moueantur iniuriis, quæ facto in perſonam, aut res inferuntur, quàm quæ conuitiis. Verbis autem grauiorem fieri iniuriam hinc potiſſimum colligitur, quod illæ iniuriæ ſint grauiores ceteris, ex quibus naſcitur maior ira. ſed maior ira concipitur ex iniuria verbis illata. hæc enim lædit exiſtimationem, aliæ verò inferunt tantùm dolorem vel damnum. at læſioni exiſtimationis accedit maior contemptus, adeoque ma-

ior ira. Ira enim naſcitur ex contemptu, vt dicemus ſuo loco. Dicet aliquis: Iudex relinquit inultas verborum contumelias, quibus læditur exiſtimatio, ſed non relinquit inultas iniurias in rem & perſonam, ergo iniuria verbalis non eſt grauior, ſed leuior. Reſpondetur. Iudex reſeruat pacis arbitris iniurias verbis illatas, vt ad eas delendas tanquam grauiores concurrat etiam pœnitentia lædentis: quæ non concurrit in punitione furti, ſeu mutilatione membrorum. Poſt tractationem iniuriarum videamus quomodo homines ſe habeant ad iniurias, quæ illis inferuntur. Ad iniurias diuerſi diuerſo modo ſe habent: quia per modum recipientis recipiuntur. Nam ſunt aliqui, qui illas non ſentiunt, vel parum; alij verò ſentiunt illas. In prima claſſe ſunt ij, qui iracundis, amaris, & moroſis contrarii, ſunt penitus iræ vacui. hi parum ſentiunt iniuriam, ſiue ſit dolor, ſiue damnum, ſiuo læſio exiſtimationis. & in ſpecie ij, qui è directo oppoſiti ambitioſis, elatis, atque ſuperbis honorem contemnunt, illas iniurias præcipuè non ſentiunt, quæ verbis fiunt, & honorem, & famam lædunt. ſicut ſtupidi, & ſenſu deſtituti, oppoſiti intemperantibus, qui nimium voluptati indulgent; vel doloris expertes, & inſa-

ni qui opponuntur ignauis, & timidis, parum aut nihil ſentiunt eas, quæ dolorem afferunt, & facto in perſonam inferuntur. Et pariter liberales, & prodigi parum ſentiunt eas, quæ inferunt damnum, & facto in res noſtras committuntur. hinc Ariſtoteles de liberali. 4. Ethic. hæc habet; nam cum pecunias non multi faciat, iniurias etiam illas inferri ſibi non difficulter patietur. Secunda claſſis eorum, qui ſentiunt iniurias, eſt duplex; nam alij æquo animo ferunt, alii iniquo. Prima eſt eorum, qui ſentiunt quidem iniurias, ſed eas æquo animo ferunt, duce, & magiſtra patientia. cuiuſmodi ſunt inter ceteros heroës chriſtianæ manſuetudinis, & fortitudinis, qui cædenti præbent alteram maxillam, & ſolent pro lapidantibus, & perſecutoribus Dominum exorare, quales deberent eſſe omnes chriſtiani, ſi non ex præcepto, ſaltem ex conſilio, quum non defuerint pagani, qui nihil perturbati iniurias laudabiliter tulerunt, & earum conditionem placidiorem reddiderũt tranquillitate conſilij. ita M. Cato meliùs putauit non agnoſcere iniurias, quàm vindicare; nam percuſſus in balneo, non memini, inquit, me percuſſum; idem feciſſe dicitur Pericles, & alij ſexcẽti. notiſſima demũ eſt Socratis patientia, qui iniurias ęquiſſimo animo tolerabat.

Secunda eſt eorum, qui ſentiunt iniurias, ſed eas æquo animo non ferunt; ex his alij illas inultas relinquunt: alij vlciſcuntur. inultas relinquunt illi, qui eas à ſuperioribus acceperunt, quibus iraſci non poſſunt, cum timeant. vnde intra limites odij, & triſtitiæ conſiſtunt, neque longius progrediuntur. inulti etiam viuunt ij, qui licet à paribus, & etiam inferioribus iniurias acceperint, ſunt tamen adeo timidi, & ignaui, vt poſtquam ſe ſuperiores exiſtimauerint (ex qua exiſtimatione ira in aduerſarios oborta eſt) ſe iudicarunt inferiores; ex quo iudicio ira ceſſit odio, atque triſtitiæ. hoc eſt peſſimum genus hominum. nam vt Octauius Parmæ, & Placentiæ Dux ſapientiſſimus dicere ſolebat; hi neque chriſtiani viri, neque equitis honorati nomen merentur; nam nec ſciunt parcere, nec vlciſci. tales ſeruili, & degeneri animo præditos cenſet Ariſtot. 4. Ethic. c. 5. ex illis autem, qui vlciſcuntur iniurias, vel id faciunt via iudiciaria, vel extra iudicium, vel vtroque modo. Inimicos iudicio perſequuntur viduæ, & pauperes, qui cognoſcentes, ſuarum virium imbecillitatem, Iuſtitiæ vltrici confidunt, & veluti ſerui ob nimiam dominorum ſæuitiam confugiunt ad Principum ſtatuas; extra iudicium verò propulſant iniurias,

qui id per ſe ipſos præſtare poſſunt. hi cum valeant proprium ius tueri contra omnes, volunt etiam tales apparere, & exiſtimari. quo fit vt nolint in ius vocare lædentes, ne potius legum, quàm ſuarum virium beneficio videantur tueri res ſuas, nec per alios, quàm per ſeipſos id faciunt, ne aliena ope indigere ad res proprias tuendas videantur. alij, in quibus odium maximè viget, & per ſe, & per alios, & in iudicio, & extra iudicium vindicant iniurias. quod quamuis apud aliquas nationes ſit vſu receptum, non eſt tamen approbatum, neque à militibus, qui tantùm viribus propriis propulſant iniurias; neque à pauperibus, qui id faciunt ſolo legum beneficio, neque à prudentibus viris politicis, qui iuſſu Principum, & ſine gladio, & ſine ſtrepitu iudicij controuerſias omnes habita ratione læſi, & iuſtas pacis conditiones proponendo honorificè componunt; dixi iuſſu Principum nam ſic breuî dirimuntur diſcordiæ; cum enim iuſtæ conditiones pacis oblatæ recuſantur, ſubditi vt iniuſti, & implacabiles exilio mulctantur; quod fieri non poteſt ſi ij, qui ſe interpoſuerunt, non funguntur officio publico. quod ſi hæc diuiſio non placet, en aliam. ſunt alij promptiſſimi quidem ad iraſcendum, tardi autem ad proſequen-

dam vindictam; alij tardiſſimi ad iraſcendum, ſed prompti ad ſumendam vindictam: alij ad vtrumque tardiſſimi. natura triſtes, qui omnia per diſplicentiam recipiunt, vt ægri, & malè affecti, & ex aliis cauſis irati, & quibus bilioſior eſt ſanguis, & melancholici, omnes quidem qualibet de cauſa facillimè offenduntur, & facillimè iram concipiunt: tardiùs autem exequuntur, quicunque ex his timidiores ſunt, & pauci ſanguinis, & frigidioris, tum verò & prudentiores & rationi parentes magis. contra qui bene valent, & multi ſanguinis ſunt, & leuiores, ſerius quidem iraſcuntur, nec facilè, quia fere omnia veluti læta recipiunt, vel vti minus triſtia. at vbi de offenſa iudicium fecêre, tum promptiſſimè iram effundunt, & vlciſcuntur. ad vtrumque verò promptiſſimi ſunt homines calidi, bilioſi, & amari, aut exuſti melancholici, præcipuè autem ratione vacui, & ſuperbi. ſuperbi enim ex omni vel leui offenſa magnam iram concipiunt, quod iniuriam non metiuntur, quanta per ſe eſt, ſed quanta illi videtur, cui illata eſt. tardi verò ſunt ad vtrumque frigidi natura, & mites, ingenij minimè peruerſi: qui etiam iniuriarum obliuiſcuntur.

LIBER III.

De Inimicitiis.

INiuriæ ſoboles Inimicitia opponitur Amicitiæ, inter inimicitiam quippe, & adulationem, veluti duo extrema poſitiua, locatur amicitia tanquam mediocritas quædam, inimicitia alteri derogat bona, quæ adſunt, adulatio alteri arrogat bona, quæ non adſunt. at amicitia nec plura, quam adſunt, cuipiam tribuit, nec pauciora, nec laudat quæ laudanda non ſunt, nec ex aduerſo imminuit ea, quæ commendationem merentur; vnde eſt ſimilis veritati, quæ alio nomine candor, ſinceritas, & integritas inter arrogantiam, & diſſimulationem collocatur. Inimicitia porrò nobis apertè aduerſatur, adulatio latenter, Inimicitia intus, & extra nocet, adulatio cum extra æmuletur amicitiam, intus tantummodò inſidias parat, & dolo offendit, & necat. Inimicitiæ multas quidem vtilitates egregiè Plutarchus enumerat, ex adulatione verò nulla commoda capiuntur, ſed detrimenta quamplurima. præter hæc duo oppoſita, quæ poſitiuè opponuntur Amicitiæ, eidem aduerſantur alia duo oppoſita; vnum negatiuè, quod eſt negatio amicitiæ, & aliud

priuatiuè, quod eſt priuatio eiuſdem amicitiæ, & vtrumque poteſt conuenienter appellari non-amicitia. Negatio amicitiæ eſt inter eos, qui nunquam fuerunt amici. Priuatio amicitiæ eſt inter eos, qui fuerunt quidem amici, ſed non ſunt. nam per euerſionem conditionum, quæ ad amicitiam requiruntur, fuit inter eos diſſuta amicitia, ſic tamen vt facti non ſint inimici. quare diſſoluere amicitiam, & contrahere inimicitiam non eſt idem; quamuis plerique diſſolutionem amicitiæ cum inimicitia confundant, quod eſt falſum. & ſi enim dum amicitia diſſoluitur, in inimicitiam ſæpe incidunt homines; frequenter tamen contingit, vt amicitia diſſoluatur, nec vllum oboriatur odium inter eos, neque appetitus vindictæ. vt quando amicitia, quæ eſt inter æquales diſſoluitur, quia ceſſat æqualitas quantitatis, in qua fundatur, cum nempe vnus ex amicis eminentiſſimos dignitatis gradus conſequitur; cum non retribuitur illud proportionale, & illa æqualitas rationis, quæ eſt vinculum amicitiæ inter æquales; vel quia ob locorum diſtantiam, aut ſtudiorum, & vitæ diuerſitatem prorſus tollitur ſocietas, & conuictus, & ſenſim amicitiæ ligamenta ſoluuntur. vel quia auferuntur amicitiæ vincula, ſcilicet vtilitas,

vel iucunditas, in quibus fundantur ami-citiæ imperfectæ, vel quia ſtultitia noſtra, & falſa perſuaſione non probè explorato amici ingenio, exiſtimauimus nos ab illo amari ob virtutem; & poſtea id vtilitatis cauſa ab eo factum apertè deprehendimus. in omnibus iſtis caſibus ſoluitur amicitia, neque tamen propterea inimicitia contrahitur. inimicitiam verò, & non-amicitiam differre planum eſt, ſiquidem cauſas efficientes habent diuerſas. Inimicitiæ enim (ſi Ariſtoteli credimus lib. 2. artis Rhet. cap. 4.) cauſæ ſunt ira, detractio, calumnia; at non amicitia etiam ſine his reſultat, vt patet ex caſibus modò allatis. dixi reſultat, nā ens negatiuū, quale eſt nō amicitia, propriè loquendo non dicitur effici, differunt ergo inter ſe inimicitia, & non amicitia, quia licèt vtrobique ſit negatio commercij (quæ reſpectu inimicitiæ propriè dicitur fuga) inimicitia tamen includit etiam nocendi ſtudium, non amicitia verò nullum nec nocendi nec gratificandi ſtudium includit. is etiam, qui diſſuit tantùm amicitiam, ſolitario poteſt comparari, qui ſua agit, & alteri neque prodeſt, neque nocet; eaque negatio commercij abſque ira vel odio ſolitariè accepta, poteſt etiam in viros fortiſſimos cadere; nemo enim eſt perfectè fortis, qui etiam non ſit

prudens; at prudentia dictat aliquas eſſe cauſas ſeparationis amicitiæ, quæ non expoſcunt vltionem, vel odium: vt cernere licet in cauſis à nobis ſupra allatis.

Et hæc diuerſitas cernitur etiam ex diuerſo modo loquendi. Nam cum ſit tranſitus ab inimicitia ad amicitiam, dicitur conciliatio, vel reconciliatio: cum verò ſit tranſitus à non amicitia ad amicitiam dicitur coniunctio, vel reconiunctio. Nos negatione, & priuatione Amicitiæ omiſſis, de Inimicitia ſumus verba facturi. non tamen de quauis, ſiquidem diuerſa eius genera; Inimicitia enim ſumpta in tota ſua latitudine oritur ex malo aliquo, quod in aliquo conſpicimus. id verò quoniam odio habemus, vel per ſe, quia inhoneſtum eſt ſimpliciter, vel per accidens, quoniam dolore. damno, aut contumelia nos, vel noſtros affecit. ideò ex hoc duplici odio conſurgit duplex Inimicitia. Prima quæ oritur ex odio, quo per ſe proſequimur malum, eſt erga homines, qui nos non offenderunt; ſed tamen vel in Deum impij more gigantum, vel in homines improbi fuerunt, & hos moraliter, & chriſtianè odiſſe poſſumus; hac tamen conditione, vt non homines, ſed vitia ipſa inſectari videamur. hæc vocatur inimicitia moralis, ſeu religioſa: & à Caietano dicitur odium abomi-

nationis, in rebus anima carentibus græcè dicitur Antipathia. Secunda Inimicitia, quæ propria eſt, oritur ex odio, quo per accidens proſequimur malum. eſtque erga illos, qui nos vel noſtros dolore, damno, aut contumelia affecerunt, quæ etiam iuſta eſt moraliter, & chriſtianè. Nam inimici vt inimici non ſunt ex charitate diligendi: quia charitas non tollit, ſed ſeruat naturam rei, quælibet autem res etiam irrationalis naturaliter odit, & fugit ſuum contrarium tanquam ſui deſtructiuum. hæc appellatur inimicitia hoſtilis, quia eſt erga eos, qui hoſtes ſunt, ſiue extra bellum, ſiue in bello: & ab eodem Caietano dicitur odium inimicitiæ ad differentiam inimicitiæ impropriè dictæ, quæ ab eodem, vt diximus, dicitur odium abominationis: eiuſdem generis eſt inimicitia erga eos, quos læſimus; nam oritur ex odio, quo proſequimur malum, non quia inhoneſtum (nam ſic eſſet inimicitia primi generis, quæ dicitur abominationis.) Sed quia ad nos pertinet; eos enim, quos læſimus, etiam timemus vltores. Sed quoniam eadem eſt ratio contrariorum, quemadmodum Amicitia definitur Amor, ſeu beneuolentia mutua, & aperta, quæ tendit ad coniunctionem honeſtæ vitæ; ita vice verſa Inimicitia, odium, ſeu male volentia mutua, & aperta, quæ tendit ad ſeparationem

ſocie-

ſocietatis. Definitioni noſtræ fauet Ariſtoteles. 2. Rhet. cap. 4. vbi eodem ſenſu accipit odium, & inimicitiam. Effectus amicitiæ ſunt actualis beneficentia, & actualis conuictus: pariterque effectus inimicitiæ ſunt actualis læſio, & actualis fuga, ſiue ſeparatio; hæc autem læſio, quatenus prouenit ab eo, qui læſus eſt; dicitur vltio, ſiue vindicta, quatenus verò proficiſcitur ab eo qui læſit, dicitur noua iniuria, quæ infertur à lædente, quia læſum timet vltorem, & propterea dum vult ſeipſum ſecurum reddere, tentat nouis offenſionibus reddere læſum ineptum ad vlciſcendum. M. Tullius. lib. 4. Tuſcul. quæſt. inimicitia inquit eſt ira vlciſcendi tempus obſeruans; hæc autem definitio, quæ traditur per iram, non videtur competere vtrique extremo; ſcilicet ei qui intulit, & ei, qui accepit iniuriam; nam licet in eo, qui læſus eſt, reperiatur huiuſmodi ira, quæ obſeruat tempus vindictæ opportunum, in eo tamen, qui læſit, non reperitur. non enim iraſcitur, neque appetit vindictam is, qui non accepit iniuriam. Noſtrum verò eſt proponere definitionem communem, quæ competat tam lædenti, quàm læſo. ſicut enim duo alba dicuntur ſimilia ab albedine; quæ ineſt vtrique: ita lædens, & læſus dicuntur ini-

mici ab inimicitia, quæ in vtroque reperitur. Si verò Inimicitia eſſet ira, vt Cicero exiſtimauit, inimicitia non exiſteret in vtroque, ſcilicet in lædente & læſo; lædens enim in quantum talis, non iraſcitur, quandoquidem non deſiderat vlciſci iniuriam, quam non accepit, nihilominus, vt lædit, inimicus dicitur. Sed hoc ab alia paſſione, diuerſa ab ira, quæ in ipſo realiter reperiatur, à qua poſſit appellari inimicus; nihil enim prædicatur, niſi quod ineſt; at huiuſmodi paſſio eſt odium, per quod à nobis ſupra definitio inimicitiæ tradita fuit: Quemadmodum enim amicitia dicitur amor, non manſuetudo; ita inimicitia odium, quod opponitur amori, & non ira, quæ eſt manſuetudini contraria, dici debet. Nemini verò dubium eſſe debet, quin odium vigeat in eo, qui intulit iniuriam; Procliue namque eſt homini eum odiſſe, quem læſerit; vel quia illum timet vltorem; vel quia ſuapte natura exurgit in eo, qui iniuriam intulit, maleuolentia, & odium aduerſus patientem, vti collatione beneficij conciliatur, & augetur conferentis amor erga accipientem. Dicet aliquis: ſi inimicitia non debet definiri per iram, quia ira non eſt in lædente; ergo neque poterit definiri per odium, quandoquidem in læſo non reperitur

odium, ſed ira, quæ eſt vltionis appetitus. hæc tamen ratio non concludit. Nam in læſo non ſolùm reperitur ira, ſed etiam odium: proprium namque eſt odiſſe eos, à quibus ſumus iniuria affecti. Quare inimicitia erit mutuum odium, ſicut amicitia eſt mutuus amor; ſed non erit mutua ira. Eadem enim qualitas in vtroque amico, & in vtroque inimicò reperiri debet neceſſariò; ſcilicet amor in vtroque, & odium in vtroque. Nam amicitia, & inimicitia sūt de genere illarum relationum, quæ pro ratione fundandi habēt aliquam vnitatem. Ceterùm, quemadmodum æqualitas eſt relatio, quæ pro ratione fundandi habet vnitatem in ſubſtantia; ita amicitia, & inimicitia ſunt relationes quædam, quæ habent pro ratione fundandi, vnitatem in qualitate. Amicitia quidem eſt in amore, inimicitia verò in odio: & hæc relatio poteſt dici relatio ſimilitudinis; ſicut quæ eſt inter niuem, & lac, quæ ſunt ſimilia ratione albedinis; eſt tamen inimicitia ſimilitudo valde diſſimilis, & concordia diſcors. Nam inimici ita conueniunt in odio, vt ex huiuſmodi conuenientia omnis diſcrepantia naſcatur. accidit quandoque fateor, vt cum vterque ſe læſum exiſtimat, inter eos intercedat mutua ira. Sed hic eſt caſus ſingularis, & tunc non eſt inimicitia

propriè dicta, ſed in Theologorum ſcholis Rixa appellatur à ringendo, quod canibus irritatis proprium eſt. Quod ſi Marcus Tullius in illa ſua definitione inimicitiæ eam tantùm, quæ in læſo reperitur, comprehendere voluiſſet, certè nemo melius eo fuiſſet philoſophatus; nam ira vlciſcendi tempus obſeruans, quæ eſt in læſo, optimè exprimit iræ, & odij miſturam.

Temporis namque obſeruatio non competit puræ, & recenti iræ, ſed iræ mixtæ odio, & inueteratæ: nam pura ira ob ſuam celeritatem tempus obſeruare non poteſt;&huiuſmodi miſtura ſemper in læſo reperitur; quamuis enim inimicitia, quæ eſt erga ſuperiores, à quibus fuimus affecti iniuria, videatur eſſe intra limites odij (quum nemo putetur iraſci poſſe iis, quos timet) videbimus tamen infra quo etiam pacto iis iraſcamur. Quæ verò in eo, qui accepit iniuriam inueteratæ iræ, & odij ſit miſtura, diligenter iam circumſpiciendum. Ira, quæ eſt in læſo, non ſolùm, dum ſanguis feruet, circa cor ex præſentia mouentis obiecti perdurat; ſed etiam ſanguine refrigerato, ex ſola obiecti memoria permanet; Eaque ſtabilitas iræ neceſſaria eſt ad inimicitiam, quia inimicitia non eſt fluxum quid, veluti affectio, quæ citò ori-

tur, citò interit; ſed in modum habitus ſeſe habet. eſt autem ira permanens, & ſtabilis, quia odio innititur. nam ſicut flamma celeriter euaneſcit, niſi adhæreat corpori ſolido vt ligno vel ceræ: ſic etiam ira, quæ flammæ rectè comparari poteſt, ſtatim deficeret, niſi fundaretur in odio, quod eſt obfirmata quædam affectio inſtar habitus, ac veluti pabulum, quo ira nutritur, & ſuſtentatur.

Huiuſmodi iram ſtabilem, & odio commiſtam fortaſſe Plato in conuiuio, & in Phædro connumerauiſſet inter furores, qui homines infra ſuam ſpeciem deiiciunt. Nam ſi ſolùm locutus eſt de illis furoribus, qui habitus, cum exiſtant, diuturni ſunt: certè ira miſta odio non eſt breuis, neque citò tranſit. ſicuti eſt pura ira, ſed eſt diuturna. Ira namque formatur in nobis ex plurium paſſionum concurſu; incipit enim à triſtitia ob acceptam iniuriam, & comite odio, quo proſequitur eum, qui intulit offenſam, ſpe ſumendæ vindictæ recreata in illam tendit, tanquam in finem; Eſtque hæc miſtura iræ cum odio perquam neceſſaria, quod ſiquis non ſperaret ſe poſſe vlciſci iniurias, vtpote illatas à ſuperioribus, quos timet ipſe, intra limites odii, atque triſtitiæ conſiſteret, & in eo non accenderetur ira; vel ſi accenderetur, eſſet latens,

& ſecreta. Nec ſunt ira, & odium paſſiones adeo diuerſæ, vt ſimul miſceri non poſſint, namque idem eſt vtriuſque effectus; euerſio ſcilicet inimicorum, vt bene animaduertit Ariſtoteles.

Et licèt odium ſimpliciter pertineat ad appetitum concupiſcibilem; ratione tamen impugnationis, quæ ex odio naſcitur, poteſt ad iraſcibilem pertinere. ita D. Thomas, parte prima, quæſt. 81. art. 2. ad 3. quod fortaſſe Zeno conſiderans dixit omnium perturbationum ſemina in iram confluere; hoc eſt in iraſcibilem facultatem. Inimicitiam, quæ eſt in læſo, ex odio & ira mixtam eſſe conſtat ex manifeſto iræ, vel odij prædominio. Nam cum læſus ob vehementiam doloris difficilè rationem admittit, irâ præcipuè vexatur; cum verò magis ratione vtitur, in eo odium præcipuè viget: odium enim abſque magno dolore eſſe poſſe ab Ariſtotele traditur. 5. Politic. & 2. Rhetor; imò aliquando ſine vllo dolore, vt cum bonus odit malum: licèt hoc poſtremum odium erga improbos ſit odium alterius generis; eſt enim odium abominationis non inimicitiæ. Cum læſus facilè reconciliatur, ſignum eſt in eo præualere iram; hæc enim tempore ſanatur facilè, quia eſt quid fluxum; Si verò inimicitia firmas egit radices, conclu-

dere poſſumus ſpecialiter ineſſe odium, quod difficiliùs deletur; quia eſt obfirmata quædam affectio veluti habitus; quod interdum etiam inſanabile exiſtit, quando ſcilicet à natura inditum eſt.

Cum inimicus læſus ſtudet inferre dolorem potius quàm damnum, eſt effectus peculiaris ipſius iræ, cum ex aduerſo magis damnum, quàm dolorem, eſt effectus odij. Cum inimicus læſus conſiderat in lædente præſentem tantùm voluntatem lædendi, iraſcitur. Cum verò in eodem cognoſcit, non præſentem tantùm voluntatem lædendi, ſed etiam futuram, atque perpetuam, ita vt natura, vel habitu videatur ad nocendum paratus, odio habet.

Ceterùm in læſo, qui lædentis aduerſitatibus flectitur, dominatur ira: in eo autem, qui non mouetur miſeratione, ſed vult lædētem extingui, dominatur odium.

Neque aliam exciſæ Carthaginis cauſam inuenietis, quàm odium, quod, vt monet Velleius, ne in victos quidem deponitur; neque enim ante quid inuiſum eſſe deſinit, quàm eſſe deſiit: in mortuos enim odium natura ſua ceſſat; ſiquidem quod non eſt, non poteſt odio haberi, ſed perſeuerat interdum in memoria, quæ inimicum quaſi viuentem refert. Ratio autem, cur inimicus læſus in quantum iratus fle-

ctatur facilè aduerſitatibus alterius, odio autem commotus ferè ſit implacabilis, ea eſt, vt bene notat Caietanus, quia odium natura ſua eſt ſine menſura, quia, quod odio habemus, vellemus non eſſe: Ira verò eſt cum menſura, quia ſpectat iuſtitiam, & quicunque iraſcitur, dum ſe præter ius, faſque læſum arbitratur, æqualitatem quærit, quam vbi obtinuerit, quieſcit; nam ira malum iuſti vindicatiui ratione indutum ſpectat: odium verò malum nudum per ſe.

Hanc porro miſturam iræ, & odij in homine læſo poſſumus etiam hoc pacto probare. Odium eſt diſſonantia quædam appetitus ad id,quod apprehenditur vt repugnans&,nociuū,& eſt receſſus à contrario. Sicut amor eſt conſonantia quędam appetitus ad id, quod apprehenditur, vt conueniens. Sed inimicus læſus non ſolùm habet appetitus diſſonantiam ad alterum inimicum, quem apprehendit vt repugnantem, & nociuum; ſed præterea vindictam deſiderat; læſus igitur non tantum odium, ſed iram etiam includit, quæ eſt appetitus vindictæ. Nec tamen lenitatis ſemper argumentum erit, vindicta abſtinuiſſe, quandoquidem multi, qui non ſumunt vindictam, iram tamen non deponunt: ſunt enim nonnulli, qui aduerſus eos, in

quos commoti fuerint, rancorem animi reſeruant: negant quidem ſe verbis iraſci, ſed re ipſa verè indignantur; non enim eos affabilitate ſolita excipiunt. nec tamen excuſationem merentur, cum dicunt, quod vindictam ſuæ commotionis non expetant: Etenim vindictam non expetunt, quia eam exercere palam non audent, aut certè non poſſunt; & ſic virus iracundiæ in ſuam perniciem retorquent; nec triſtitiæ amaritudinem expellunt protinus virtute animi, ſed mora digerunt. Adde quod quiſque furori proprio ſatisfacit, cum id quod poteſt, ira inſtigante complet: id verò præſtat etiam ille, qui motus ſuos non appetitu placiditatis, ſed inopia vltionis cohibet: nihil enim ampliùs his quibus eſt iratus inferre poteſt, quàm vt eos affabilitate ſolita excludat. nec ſolùm in effectu operis eſt iracundia moderanda, ſed etiam ex intimo pectoris eruenda; quamuis enim cohibitus in corde furor adſtantes homines non offendat, mentem tamen noſtram obſcurat, nec ſalubre conſilium, vel ſcientiæ lumen admittit. Et ideo hunc qui neque placatur, neque vindictam ſumit, Octauius Farneſius Parmæ & Placentiæ Dux ſapientiſſimus mortalium peſſimum. vt diximus, pronunciabat quòd nec vir ſtrenuus, nec chriſtianus eſſet: ſiquidem

huius eſt parcere, illius vindictam ſumere.
Cuiuſmodi hominum genus Poëtæ illud
verè vſurpat. Nec pacem inuenio, nec
ſunt mihi bella gerenda, Dicet aliquis.
mixtio hæc iræ, & odij non eſt neceſſaria
in homine læſo, quoniam ira creſcit in
odium. Vnde eadem numero ira per inueterationem
fit odium, nec eſt aliud, quàm
ſimplex odium; ſicut eadem numero diſpoſitio
dum magis intenditur, & radicatur,
fit habitus. Verum D. Thomas, parte
2. quæſt. 46. art. 3. in reſp. ad 2. ait,
quod ira non dicitur creſcere in odium,
quia eadem numero paſſio, quæ prius fuit
ira, poſtmodum fiat odium per quandam
inueterationem; ſed quod dicatur creſcere
per quandam cauſalitatem, quia odium ex
ira inualeſcente, & perſeuerante procedit.
nám primò per iram (vt idem docet.
2. 2. quæſt. 34. art. 6. in reſp. ad. 3.) appetimus
malum proximi, ſecundùm quandam
menſuram: prout ſcilicet habet rationem
vindictæ, poſtea autem per continuitatem
iræ peruenitur ad hoc, vt homo læſus
malum proximi abſolutè deſideret,
quod pertinet ad rationem odij. Et vtrumque
deſiderat, ſcilicet malum ſub ratione
vindictæ, & malum abſolutè dum inimicitia
perdurat. Eſt ergo miſtura iræ, & odij
neceſſariò admittenda, tam quia ira eſt cau-

ſæ odij, tum quia ira, & odium ſiue pertineant ad eundem appetitum, ſiue ad diuerſum, ſunt ſpecies paſſionum diſtinctæ inter ſe, & non ſunt vt diſpoſitio, & habitus. quæ reducuntur ad eandem ſpeciem qualitatis. Inimicitiæ, quæ eſt in læſo, comites ſunt voluptas, & dolor. voluptas quia iucundum eſt, & melle dulcius, vt ait Homerus, cogitare ſe conſequuturum vltionem. Dolor quoniam nemo ſine dolore iniuria afficitur. cum igitur inimicitia, quæ eſt in homine læſo, de quo præcipuè ſermo eſt, ſit ira permanens, iræ naturam porrò explicabimus.

De Iraſcibili poteſtate, & eius obiectis.

IRaſcibilis facultas eſt animalibus à natura tributa, vt poſſint ſeipſa ab extrinſecis conſeruare, & pręterea lædere lædentia, & aduerſantia. Idcircò prouida parens pleriſque eorũ arma quędã conceſſit, quibus efficere ea poſſent, quæ facultas ipſa dictaret, veluti dentes, vngues, cornua, roſtra, & alia vnicuique pro ſui corporis proportione, & ſpecie differentia valde accommodata. Homini verò nulla quidem arma attributa ſunt, ſed manus data, quam Ariſtoteles inſtrumentorum inſtrumentum

appellat, omnibus inſtrumentis conficiendis, & tractandis aptiſſima, quod naturæ myſterium optimè explicat Galenus. 1. de vſu part. corporis humani. Quotiès igitur animalia in alia impetum faciunt, ſi vident ſe, aut viribus excellere, aut ſaltem iis paria eſſe & aggredientium vim ſuſtinere poſſe, renituntur, & vtuntur hac facultate iraſcibili, non ſolùm ſe ab iniuriis conſeruando, ſed etiam vim inferendo, & lædendo ea, quæ offendunt. Quoties verò ſe imbecilliora ſentiunt, pedum, aut pennarum beneficio alioue ſui corporis celeri motu ſeſe proripiunt, ac ſibi ipſis à fuga, naturali quadam vi ſalutem petunt, omniſque timor, qui ab obiectis etiam inanimatis excitatur, ad hanc ipſam iraſcibilem pertinet facultatem, quæ modò conſeruat, & lædit, modò tantùm conſeruat, vt accidit in animalibus imbecillioribus, quod hominibus etiam non minùs, quàm iumentis, & feris conuenit. Quemadmodum verò gratiæ impares non quærimus eam referre, ita nec vindictam conamur ſi nos intelligimus vltioni minimè pares, ideoque ſi alij nos lædere pergant, impendentia mala timemus, & vitamus. Quod, vt rectè intelligatur, ſcire licet, inter timorem, & iram duo intercedere diſcrimina, vnum ex parte corporis, alterum ex

parte animi; Et quidem ex parte corporis, in timore ſanguis ad cor contrahitur, nec ad propria loca recurrit; quod ex torpore, tremore, & pallore, quibus timentes confunduntur, ſatis apparet; in ira verò contrahitur quidem primò, ſed mox quaſi validior factus recurrit ad venas, & arterias, & per eas diſpergitur, vt motus reddantur vehementiores; quare eodem tempore timere nullo modo poſſumus, & iraſci; Ex parte verò ipſius animi: in timore iudicamus nos eſſe inferiores, timor enim naſcitur ex iudicio alienæ virtutis, quæ noſtram ſuperat. in ira autem putamus nos pares eſſe, aut ſuperiores, & expellere alios poſſe; Nullus enim iraſcitur vindictam appetens, niſi audeat vindicare, vt dicit Auicenna in 6. de naturalibus. ideoque ira dicitur generalis paſſio, in quantum ex concurſu multarum paſſionum producitur: non enim inſurgit motus iræ niſi propter aliquam triſtitiam illatam, & niſi adſit deſiderium, & ſpes vlciſcendi; iratus enim appetit vindictam, vt ſibi poſſibilem.

Vnde ſi perſona, quæ nocumentum intulit ſit multùm excellens in læſo, non ſequitur ira, ſed solùm triſtitia, vt docet idem Auicenna, in lib. de anima; quare non iraſcimur iis, quos metuimus; quia fieri non poteſt, vt vno tempore nos eiſ-

dem ſuperiores, & inferiores exiſtimemus; poteſt tamen inferior ſecretò iraſci ſuperiori, quia occultè non metuit; nec iudicat ſe inferiorem eſſe quamuis ſit.

At quoniam ira ortum ducit ex iudicio noſtrarum virium, ſupra lædentis vires, hinc fit vt Principes, potentes, diuites, & ſuperbi facilè iraſcantur. fortes etiam, & audaces, quibus vix incuti formido poteſt, ad iram ſunt procliues. nunquam enim cæteris ſe inferiores viribus ſed ſuperiores potius arbitrantur; Et cum irati ſe ſuperiores exiſtimant, voluptatem capiunt, quoniam non ſolùm ſperant ſuas iniurias ſe vlciſci poſſe; ſed vindictam quaſi præſentem cernunt, & ſomniant: licet voluptas vera ſit vel poſt vindictam, vel in ipſo actu vindictæ. iraſcimur ergo non ſuperioribus ſed paribus, & inferioribus; non tamen omnibus. nam illis, qui nos imprudenter caſuque læsêre (modò factum non probent) non iraſcimur; quia nullam intulerunt iniuriam; iraſcimur autem iis, qui nos læſerunt de induſtria; & eorum pœnitentiam quærimus, ne iterum audeant lædere; eum enim, qui veterem iniuriam perfert, nouam inuitare prædicant.

Nec læſio de induſtria ſufficit ad iram, de qua loquimur, excitandam: ſed debet

eſſe talis læſio, quæ mereatur nomen iniuriæ: nam ira oritur ex læſione inconuenienti, & iniuſta, quæ enim iuſtè pati credimus, non cupimus vindicare, vt experientia continua teſtatur in iudiciis. Cum iure, aut iuſto imperio etiam aliquid nobis aufertur, aut impedimur ne quid liberè agamus, dolore quidem afficimur, ac triſtamur. ſed non iraſcimur; quare liberi parentibus non iraſcuntur, ſi prohibeant eos ludere, vel ſpectaculis publicis intereſſe, ſed ad preces, & lacrimas ſe conuertunt; aut ſi iraſcuntur, eſt ira alterius generis, vt videbimus cum nihil ex iis meditentur, quæ dictat ira, de qua eſt ſermo. neque quacunque iniuria excitatur ira, quia ſunt aliquæ iniuriæ, ob quas non iraſcimur; nam ſi clam furto res noſtræ auferantur, non iraſcimur ſed dolemus; quare ira fit ſolùm ob iniuriam, cum qua coniunctus eſt contemptus, vt infra dicetur; & ideo ira definitur ab Ariſtotele 2. Rhetor. quod ſit appetitus vindictæ ob apparens vilipendium, & non ob apparentem iniuriam. iraſcimur igitur inferioribus aut ſaltem paribus, quos non veremur; ſi nos contra ius ſponte lædant, & contemnant. Neque iis tantùm qui lædunt, ſed & iis, qui promptum ad lædendum animum habere creduntur. Cumque inter lædendi

appetitum, & ipſam læſionem plures intercedant motus, cunctis iraſcimur, qui in medio ſunt conſtituti, nempe iis, qui inceperint, qui parauerint, qui inuitauerint.

De Maiori, & Minori Ira.

Ira ſequitur iniuriam, cui iunctus eſt contemptus, vt ex dictis patet. Iniuria quandoque vera eſt, quandoque etiam apparens; hinc iraſcimur etiam brutis, & inanimatis, cum nobis ſunt impedimento, quaſi ſponte nos lædant, & contemnant; maior iniuria concitat maiorem iram; magnitudo etiam iniuriæ non tantùm pro læſione æſtimatur, ſed pro perſonæ inferentis, & eius in quam infertur, qualitate, itemque pro loco, & tempore. Et quidem qualitas perſonæ inferentis iniuriam eſt conſideranda; nam magis iraſcimur amico, quàm extraneo, licèt vterque nos æqualiter lædat; amicum enim prodeſſe, non nocere oportebat; quare amicus dicitur maiorem inferre iniuriam, quia magis diſcedit à iure, & honeſtate. Et quod diximus de amico intelligendum, etiam eſt de propinquis, & agnatis, & de iis, in quos benefici fuimus, in quos leui etiam de cauſa excandeſcimus. Vnde non abſque ratione Cæ-

Cæſar: & tu fili, moriens exclamauit; diuinus etiam vates in pſalmo: ſi inimicus maledixiſſet mihi, ſuſtinuiſſem vtique. Maximè etiam iraſcimur iis, qui nos non alia de cauſa lædunt, quàm vt noſtro incommodo gaudeant; peſſimè enim contra nos affecti videntur; quod ſi non animo lædendi, ſed proprij commodi gratia, nos aliqua affecerint iniuria, minus ægrè patimur, minuſque iraſcimur: propterea, quod non primò, & per ſe læſiſſe videntur, ſed ferè per accidens, & non ſponte, vt ſi propria commoda conſequi aliter potuiſſent, fortaſſe nos non offendiſſent. Pariter iis maximè iraſcimur, qui nunquam à nobis læſi, nos lædere voluerunt: quod ſi illos prius læſiſſemus, minus iraſceremur; hinc cum de iniuria conquerimur, dicere ſolemus eum, qui nos læſit, nulla à nobis fuiſſe iniuria laceſſitum; & per conſequens nos non cognoſcere, qua cauſa impulſus id fecerit. Conditio etiam perſonæ, in quam infertur iniuria, debet ſpectari; nam quo dignior eſt, eò maior eſt iniuria; vnde ſiquis Principem percuſſerit, magis lædit, quàm ſi priuatum ciuem; inde patet quod interdum in commutatiua iuſtitia, ſcilicet in ea, quæ corrigit contractus inuoluntarios, perinde atque in diſtributiua, penſetur perſonarum conditio; & di-

gnitas,quod eſt veriſſimum;cumhac tamen differentia,quod iniuſtitia diſtributiua perſpicitur qualitas, perſonæ per ſe; vt ſcilicet per augmentum perſonę augeatur proportio,cumulatioris namque meriti, eſt in viro ingenuo humilitas, quam in homine inferioris ſortis. ſed in iuſtitia commutatiua duntaxat attenditur perſona, quatenus inde augetur quantitas iniuriæ, quæ ad æqualitatem reſarcienda eſt. Locus etiam, & tempus iniuriam augent; hinc eſt quod magis iraſcimur iis, qui nos palam lædunt, quàm qui lædunt occultè; nam præter iniuriæ illationem, dedecore etiam afficiunt, & quaſi ſuo exemplo irritare ceteros videntur; atque, illis animos addere, vt nos lædant; Et cum tempore indigentiæ id faciunt, nos maiori incommodo afficiunt. Cum verò omnia, aut plura ex iis concurrunt, quæ dicta ſunt, tunc præſertim ira inflammamur. vt cum exempli gratia, maximo malo nos afficiunt ij, à quibus beneficia ſperabamus, & non alia de cauſa niſi vt gaudeant noſtris malis; nulla præcedente occaſione læſionis. maximeque augetur iniuria hæc. ſi ſumus in dignitate conſtituti, nam, vt diximus, non ſolùm conditio perſonæ inferentis iniuriam, ſed etiam conditio eius, in quam infertur, ſpectatur. atque vt in ſummam omnia redi-

gamus: pro modo iniuriæ iraſcimur. Nam ſi parua eſt iniuria, parum; ſi magna valde; ſi maxima, vehementiſſimè commouemur. Mouetur autem ira hoc pacto, primò lædimur, ſecundò dolor ſentitur, tertiò excitatur pars iraſcibilis, qua conamur noſtra bona tueri, quartò excitatur ira, quæ eſt vehemens & concitatus motus, quo ſanguis circa cor accenditur, quintò non ſolùm nos tueri noſtraque contendimus, ſed etiam tantum lædentem lædere, vt ille viciſſim æquè doleat, ac dolere nos concupierat; & non modò par pari referre ſtudemus, ſed lædentem ineptum reddere ad motum, vt tandem pœniteat. ſic enim fieri putamus, vt tutiùs degere poſſimus; tutiores enim ſumus cum nos, neque apti ſumus vt lædamur, neque alij vt lædant.

Quid ſit Ira & qualis.

IRa cum ſit affectio animi, quæ non fit ſine ſanguinis, & ſpirituum agitatione, tum per materiam, tum per formam poteſt definiri. Illius materiam demonſtrauit Nemeſius, cum dixit: Ira eſt accenſio ſanguinis circa cor ex conturbatione fellis. Eandem, per formam declarauit Ariſtoteles 2. Rhet. cum ait: eſſe apparentis vltionis appetitum ex dolore, quod ſe aut ſua

quis immeritò contemni videt. Ex hac definitione colligitur, iram eſſe paſſionem compoſitam ex triſtitia, & ſpe, & conſequenter ex malo, & bono; atque inde ex parte triſtitiæ, mala defectus, & vniuerſaliter contriſtantia diſponunt ad iram, & in quibus triſtitia accepta permanet, aut renouatur, ira quoque facilè ſurgit. ex parte verò ſpei audacia delectatioque conſequitur, tam in cogitãdo, quàm in ſperata præſentia vindictæ. deinde habet obiectũ ſcilicet rem, & perſonam, res eſt punitio apparens, perſona eſt is, qui paruipendit.

Non eſt ira, niſi ad quos eſt iuſtitia, punitio enim ad iuſtitiam ſpectat, & eſt finita, & menſurata; quandoquidem punitio puniendo commenſuratur; ideoque multis factis placatur iratus. Eſtque hæc ira inimicorum; nam ira parentum erga liberos eſt appetitus caſtigationis, non vltionis. Differunt autem caſtigatio, & vltio; quod caſtigatio eſt eius gratia, cui dolor imprimitur, & ob eius vtilitatem; vltio verò gratia eius, qui vlciſcitur, vt ſcilicet animum expleat. ira verò inimicorum cur dicatur appetitus vltionis apparentis, varij varia dixêre. Quidam vt Peregrinus lib. de affectionibus animi exiſtimant ideo dici appetitum vltionis apparentis, quia ſatis eſt exiſtimare ſe ludibrio habitum.

Hic ſenſus eſt omnino incongruus verbis Ariſtotelis, qui non dixit iniuriæ apparentis, ſed vltionis apparentis. cùm ergo apparens cadat ſuper vltionem, & non ſuper iniuriam eſt ridiculum dicere; quod ira eſt appetitus vltionis apparentis, quia ſatis eſt exiſtimare ſe ludibrio habitum. Petrus Victorius in hunc locum ait, quod, quemadmodum ea, quæ ſpeciem habent iniuriæ, quamuis iniuria non ſit, nos commouent, ita quoque adumbrata vltio nos explet.

Hæc quoque expoſitio aliena eſt: nam licet animus noſter falli poſſit incognitione veræ iniuriæ; quia ab alio proficiſcitur, cuius intentio nobis eſt obſcura, non tamen decipi poteſt in recta cognitione veræ vltionis, quæ pendet à noſtra voluntate, cuius recti iudices ſumus. Neque expletur iratus, niſi vltione vera, nos autem dicimus, ſaluo ſemper meliori iudicio, quod ira dicatur appetitus vltionis apparentis, quia imaginatio læſi apprehendit vltionem tanquam poſſibilem, & eam quaſi præſentem ante oculos ponit, vt dormientibus nobis phantaſmata quædam occurrunt iucunda, quæ credimus vera, & ex tali apprehenſione oritur voluptas, quã Homerus maximam eſſe affirmat in ipſa ira. Secundò dicitur appetitus vltionis ap-

parentis, quia vltio eſſe debet, ita aliis apparens, & nota, vt manifeſta eſt illis iniuria, quæ fuit occaſio iræ. Tertiò dicitur appetitus vltionis apparentis, quia iracundus requirit, vt vindicta publicè appareat proportione æqualis iniuriæ, tam in quantitate, quàm in qualitate, vel ſaltem in quantitate. Quartò ira dicitur appetitus apparentis vltionis, nam ira non eſt ad mortuos ſecundùm ſe, nec ad inſenſibilia, quibus non poteſt apparere punitio. Quintò ira dicitur appetitus vltionis apparentis, quia iratus vult vt ſciat punitus quid, à quo, & pro quo patitur. eſtque hæc ceteris nobilior, & generoſior: nam ſic perſpicuè apparet, voluptatem percipi non in damno inferendo ipſi aduerſario, ſed in inducenda in lædentis animum pœnitentia. Sed homines aſtuti, viles atque abiecti cum ſagitta volante in tenebris commodè poſſunt comparari: volunt enim ex malignitate inimicos infelices fieri, non facere. ſicut ex aduerſo primi homines, generoſi, qui vlciſcuntur, volunt inimicos infelices facere, non fieri. Hinc Ariſtoteles laudat Homerum, qui induxit Vlyſſem, poſtquam eruiſſet oculum Cyclopi, quia non dixerat, quis eſſet, qui ei oculum effodiſſet, ob hanc cauſam reuerſum etiam ad Cyclopem,

maximo ſuo periculo dixiſſe : ſcias ô Cyclops illum, qui tibi oculum effodit, fuiſſe Vlyſſem expugnatorem Troiæ, quia interfeciſti ſocios eius; & tunc putaſſe Vlyſſem ſe de Cyclope vindictam ſumpſiſſe. Quid ſit vltio non ab omnibus eodem modo explicatur. Nos credimus vlciſci eſſe lædentem lædere, ita vt pœniteat. quapropter qui ſe ad vlciſcendum accingit, minatur eum; qui læſit, pœnas daturum, & pœnitentia ductum iri. Eſt autem ira appetitus vltionis, vt cibi fames, iſque cum accenſione ſanguinis circa cor, at fames cum quodam ventriculi ſuctu. quemadmodum verò prohibere non poſſumus, ne naturaliter ſuctus fiat, ita nec cohibere poſſumus, ne ſanguis circa cor accendatur, cum iraſcimur. ac velut ibi naturalis edendi appetitus inſurgit, ita hîc lædendi; & vt in fame aliis negotiis diſtracti abſtinemus à cibo, ſaltem ad tempus exiguum, ita in ira non ſtatim ſumimus vindictam, cum alij appetitus aliò nos vocant, ac trahunt.

Quærunt curioſi, an vindicta ſit obiectum iræ proportionatum, & adæquatum. Alij aiunt, alij negant. Nos abſolutè negamus. nam ſi vindicta ſtrictè ſumpta pro læſione, eſſet obiectum adæquatum iræ; ira non quieſceret venia, & indulgentia,

neque poſſent inimicitiæ componi, niſi præcederet læſio inimicorum: quod eſt falſum. quare obiectum adæquatum iræ non eſt lædentem lædere, ſed eſt actus, vel conatus remouendi impedimenta,& propellendi iniurias. At iniurias propellimus, vel ita lædendo, vt lædi non poſſimus, vel oſtendendo nos impune lædi non poſſe. quod lædens, dum læſo ſatisfacit, ore, & ſcripto confiteri ſolet. quare ſiue lædimus, ſiue oſtendimus nos lædere potuiſſe, idem videtur; eoq; melius, quò humanitati propinquius, & ad cōciliandos animos aptius. nam mutuis læſionibus nihil aliud fit, quàm vt vterque metu quieſcat, & ſæpe læſus dum ſe lædere putat, nouam refert iniuriam: indulgendo autem fit, vt licet lædens iterum poſſit lædere, id tamen facere nolit. Si verò vindicta latè ſumatur pro quacunque propulſatione iniuriarum, ſiue fiat lædendo lædentem, ſiue oſtendendo nos impune lædi non poſſe, & pro lædentis pœnitentia, qua caſtigatur, vtique vltio erit obiectum adæquatum ipſius iræ.

Irati itaque iniurias propulſare optant, quod vel lædendo fit, vel oſtendendo ſe impune lædi non poſſe. vtroque modo vltio fit latè ſumpta. Ira porrò duplicis eſt generis. dolor nempe lædentis bona, & mala ira quæritur. bona ira eſt, cum cupi-

mus vt is, qui contra ius, & honeſtatem egit, doleat, & fateatur ſe nobis immerentibus fuiſſe iniurium. hoc patres, vir, & dominus cupiunt, cum filij, vxor, vel ſerui delinquunt; & denique boni omnes, cuius iræ obiecta ſunt pœnitentia lædentis, & veniæ petitio; nemo enim bonus iratus aliud ex bono quærit, niſi vt ſe immeritò læſum ſentiat, ita vt læſiſſe doleat. Mala ira eſt in perditos homines lædentes nos, vel patriam, vel parentes, vel religionem. nam cum eorum animus ſanari non poſſit, cogimur omnibus modis vlciſci iniurias, & lædentes lædere; vt ab iis, quibus maximè debemus, quales ſunt parentes, patria, & amici, incommoda remoueamus, cuius obiecta ſunt vel lædentis interitus, vel ſaltem impedimentum tale, vt iterum lædere non valeat: & ſicut à duplici fine, duplices eſſe iras ſtatuimus; ita triplicem eſſe affirmauit Ariſtoteles. 4. Ethic. inſpecta triplici hominum diſpoſitione, atque natura.

Aliqui dicuntur iracundi, & hi ſunt prompti ad iram, & velociter iraſcuntur. non tamen multo tempore durat ipſorum ira, ſed citò ab ea requieſcunt, quia non retinent iram interius in corde, ſed ſtatim prorumpit, quia vel ſtatim reddunt vindictam, vel qualitercunque manifeſtant

iram ſuam, per aliqua, propter velocitatem motus iræ. Quidam dicuntur amari, quorum ira difficilè diſſoluitur, & diu iraſcuntur, quia retinent iram in corde, & tunc eorum ira quieſcit, quum retulêre vindictam: punitio enim facit quieſcere impetum iræ, dum loco triſtitiæ præcedentis inducitur delectatio. huiuſmodi ſunt melancholici, in quibus impreſſiones ſuſceptæ diu propter humoris craſſitiem perſeuerant.

Nonnulli dicuntur difficiles, qui non mouentur à propoſito, quouſque puniant, & diuturnitas iræ in eis non eſt ex ſola retentione, vt in ſecundi ordinis hominibus, ſed ex proproſito firmato ad puniendum. iræ autem finis non ſolùm eſt proprij iuris recuperatio, quod per iniuriam nobis illatam amiſimus, ſed etiam in lædentis ius inuaſio, vt eum tandem læſiſſe pœniteat. Dum verò bona nobis auferuntur, aut inferuntur mala, illis magis iraſcimur, qui nobis eripiũt bona illius facultatis, qua maiorem, quàm reliquis, capimus voluptatem. Quarè ſiquis potu, ac Venere plurimùm delectetur, vehemẽtius iraſcitur iis, qui vel vina, vel amicam ſubtraxerint. Nec minus auari de pecunia, equites de equis, venatores de canibus rixãtur. Regula enim vniuerſalis eſt vera, quod læſio maior

cenſetur,illa, cũ bona quæ magis diligimus à nobis auferuntur, ſiue illa bona ſint, ſiue apparentia. At quoniam exiſtimationem, & dignitatem omnes homines plurimi faciunt, quia eſt iudicium probitatis, & excellentiæ & maximum affert adiumentum ad vitam bene, beateque traducendam; quoniam ceteros allicit ad paranda probis, & præſtantibus viris, omnia bona: ideo qui exiſtimationem minuere quouis modo tentant, acriorem in nobis iram concitant.

Exiſtimatio autem, ac dignitas in iis potiſſimum repoſita eſt, quæ quilibet profitetur. cum igitur probitatem cuncti profiteantur, ideo ſi quis mendacij, furti, intemperantiæ, vel alterius improbitatis arguatur, mirum in modum excandeſcet. item ſi in ſacerdotij, aut magiſtratus, aut etiam vxoris petitione repulſam ferat, quod meritis impar eſſe dicatur; & quia artes vniuerſæ, quæ honoris, & quæſtus gratia exercentur, frigent, niſi accedat artificibus exiſtimatio, ideo artifices iis maximè iraſcuntur, qui eos eſſe peritos negant, ſuarum artium, quas profitentur. Vnde Iuriſconſulti, & Medici non iraſcuntur iis, qui eos ignaros milites, aut architectos dixerint, ſed iis, qui affirmabunt alterum carere facultate medendi, alte-

rum facultate reſpondendi de Iure. Nec miles iraſcitur ſiquis ipſum indoctum dicat; ſi verò eum pugnandi imperitum, aut ignarum appellet, arma ſtatim expediet: & quidem meritò. nam artem profitetur, qua imbelles defendit ab aliorum iniuriis. quare ſi ipſe læſus ſeipſum non tuetur, ineptus ceteris protegendis exiſtimabitur, veluti Medicus, qui aſſiduè ægrotat, ſi alios curare velit. Reliqui verò artifices, ſi viribus præſtent, ſeipſos tueri poterunt; nullo tamen pudore ſuffundentur, ſi potius iure, quam armis ſuas proſequentur iniurias, cum eorum facultas ab armis ſit aliena. Magis itaque iraſcimur iis, qui magis nos contemnunt. Et quia in iniuriis verbalibus maior ineſt contemptus, quàm in iniuriis in perſonam; ſicut in iniuriis in perſonã; maior eſt, quàm in iniuriis in rem. Ideo primò iraſcimur ob contumelias, & alias iniurias, quæ verbis inferũtur. Secũdò ob læſioné in perſonam. tertiò ob læſionem in res noſtras. Dum verò quæritur an ira ex contemptu fiat, videndum primò, quid ſit contemptus, quem alij negligentiam vocant.

Dicimus eſſe vilipendium: & verſatur actus iſte circa res, quæ nullius pretij dignæ videntur, & propterea iis ſtudium noſtrum non collocamus, nec de iis curam

ſuſcipimus. Contemptui opponitur diligentia; ſunt autem tres viæ, ac rationes, quibus aliquis quempiam parui ducit: Italicè non curare, far diſpetto, oltraggiare: deſpicientia, incommodatio, & contumelia.

Deſpicientia eſt, cum aliquo ſigno oſtendimus, illum, quem ſpernimus, à nobis pro nihilo haberi: vt fit cum illum non ſalutamus, & ſalutamus ſocium eius. Inſultatio ſiue incommodatio eſt, cum aliquem aliquid agere volentem impedimus, ne agat. Contumelia eſt, cum læditur alius non vindictæ, aut vtilitatis gratia; ſed voluptatis, quod fit, dum conuitiis aliquis contriſtatur, vel affines illius mulieres vitiantur. Nam ex his euenit pudor patienti. Secundò conſiderandum, qui ſint ij, in quos cadit contemptus. Etenim quemadmodum amore proſequimur eos, qui in bonos conferunt beneficia, & eos odio habemus, qui bonis nocent, & malos præferunt bonis; ita eos præcipuè contemptu proſequimur, qui nec bonis conſulere poſſũt; nec malis nocere. Nimirũ qua non proſunt bonis, non ſunt amore digni: nec merentur odium quatenus non nocent malis: ſed merentur contemptum, cum nec his obeſſe, nec illis prodeſſe valeant. huiuſmodi hominibus, in quos propriè, & præ-

cipuè contemptus cadit, opem ferre noluimus, quamuis poſſimus, eoſque bonis, quæ poſſident, cenſemus indignos, quia neſciunt vti fortunæ muneribus, & propterea dignos eſſe, quibus auferantur. Nec mirum eſt, ſi potius iis bona eripiuntur, quàm reliquorum cuipiam. Nam hoc hominum genus aptiſſimum eſt ad iniurias perferendas. Nullum verò dubium eſt, quin ira ex contemptu naſcatur; nam quamuis ad iniurias perferendas ſit aptiſſimus, qui meretur contemptum, iraſcitur tamen, imò magis & celeriùs, quàm ceteri. Hinc pauperes, & corpore debiles, vt ſenes, claudi, gibboſi, monoculi, cæci, deformes, ſine occaſione excandeſcunt: quòd ſcilicet exiſtimant ſe contemni ab omnibus, cum contemptus cauſam in ſeipſis gerant.

Qui etiam animo ſunt anguſto, iidem incommodum patiuntur; vt enim imbecilla corpora à vento, ſole frigore, ceteriſque aëris iniuriis facile afficiuntur, ſic animi exiles ab ira magis diuexantur; ideo pueri & feminæ centies in die aliis ſuccenſent. At magnanimi etiã ſi ab innato calore ſint ad iraſcendum proniores, tardè nihilominus iraſcuntur, quod vilia putant, quæ grandia puſillanimis apparent. Dicetis, ſi iraſci non poſſumus ſuperioribus, quos timemus, quandoquidem non eſt poſſibile,

ſimul timere, & iraſci; cum iræ ſemper ſit coniuncta ſpes, & audacia puniendi; quomodo ij, qui propriè contemnuntur & inferiores ſunt, contemnentibus ita facilè iraſcuntur? Reſpondetur primò, quod ij, qui contemnunt, aut ſunt valde ſuperiores, iis, qui contemnuntur, aut parum ſuperiores. ſi ſunt valde ſuperiores impeditur ira in contemptis, quoniam illis infertur iniuria ab iis, quos timent, vbi loco iræ ſuccedit triſtitia; quòd verum eſt de ira aperta; & non de latente; non enim prohibetur ira ſecreta, & latens; poſſumus enim in receſſu, & ſecreto ſuperiores, quamuis multùm excellant, non metuere; ſicut in angulis impune ſæpe deridentur facta potentum, quia ibi non timentur. ſi verò ij, qui contemnunt ſunt ſuperiores quidem contemptis, ſed parum, vtique & ij, qui contemnuntur, poſſunt iraſci; quia iraſcuntur ſuperioribus tanquam æqualibus, & quandoque etiam velut inferioribus. Etſi enim homines nullo quidem ſint honore digni, non tamen ſe propterea tales putant: amore ſcilicet proprio decepti; ſe præſtantiores, vel ſaltem æquales exiſtimant iis, à quibus fuerunt contempti; dummodo excellentia lædentis non ita excellat, & ſuperemineat, vt etiam læſo talis appareat. Reſpondetur

Secundò, etſi veriſſimum ſit, non eſſe iram ad excellentes perſonas, quas non ſperamus poſſe puniri, (quandoquidem ira eſt iudicium noſtrarum virium ſupra vires lædentis; aut ſaltem oritur ex dicto iudicio, ſicut ex aduerſo, Timor eſt iudicium alienæ virtutis noſtram ſuperantis) ſi tamen alieno auxilio, puta diuino, vel amicorum ſperamus iniuriæ vindictam, excellenti etiam perſonæ iraſcimur; quamuis enim ſit excellens perſona reſpectu irati abſolutè, non tamen eſt excellens reſpectu irati cum adiumento; quæ enim per amicos poſſumus, nos aliquo modo poſſumus, vt eſt. 3. Ethic. Tertiò etſi iratus aliqua ex parte ſit inferior eo, à quo contemnitur, ſufficit nihilominus ipſũ eſſe aliqua qualitate prędità,ob quam non putat ſe mereri contemptum, neque illi deeſt ſpes, ſiue vera, ſiue falſa, qua credit ſe poſſe vlciſci. hinc illud; ineſt formicæ etiam, & culici ſua bilis. docet & Æſopus apologo ſcarabæi ſeſe vlciſcentis de aquila, nullum eſſe contemnendum, nemo enim erit, qui laceſſitus ſe non queat aliqua ratione vindicare. videndum porrò, num ira ex ſolo contemptu naſcatur. Iram nempe ex aliis cauſis, quàm ex ſolo contemptu oriri exiſtimauit Gualendus lib. 4. de fac. ciu. cap. 8. & Scaliger exercit. 313. qui iurare noluerunt in verba Ari-

ſtotelis dicentis 2. Rhet. cap. 2. Iram eſſe apparentis vltionis appetitum propter apparentem contemptum. Horum opinio eiuſmodi præcipuè nititur fundamentis. Primò iniuriæ, quæ ab armato hoſte inferuntur, vel ab iis, qui nos manifeſtè timent, ad iram ſemper impellunt, & tamen nullum ibi ineſt veſtigium contemptus: nam hoſtis neque contemnit mea, quæ appetit, & occupat, neque me, quem toties fugit vlturum, atque vltum. Secundò ſi ex contemptu ſolo homines iraſcerentur, humiliores, & riſu digniores, ac contemptui magis expoſiti, eſſent ad iram procliuiores; cum tamen contrarium videmus accidere. Nam potentes, nobiles, ac ſuperbi, non quod metuant ne contemnantur, ſed quod plura ſibi deberi putant, leui quauis de cauſa ad iram concitantur, quoniam ſibi illatam iniuriam cenſent. & ſæpe iraſcuntur ſeruis, & artificibus, obiicientes non contemptum, ſed deſertum officium, aut negligentiam. Tertiò contemptus in iis tantùm obſeruatur, in quibus eſt honor; Animi enim noſtri ſignificatio eſt in eum, quem parui facimus, ſicut honor eſt ſignificatio, quod magnifaciamus.

Qui igitur iraſcuntur creditæ pecuniæ, vel mercedis cauſa, vt mercenarij om-

nes, non dolent ob contemptum, ſed quod iis non ſit ſatisfactum. Quartò pueri qui nondum honoris rationem habent, non ex contemptu rixantur, ſed ex leuiſſimæ rei ablatione. Poſtremò, qui aliquem mouere vult ad iram, non eum duntaxat ab aduerſario contemptum dicit, ſed ea ab ipſo fuiſſe ablata, quibus maximè delectatur, videlicet in facultate, quam profitetur, exiſtimationem, & laudē: vt ſi Iuriſconſultū quis affirmet legum ignarum, Ex quibus concludit Gualandus Iram etiam ex aliis cauſis, quàm ex contemptu naſci. Contra Ariſtoteles 2. Rhet. contendit quod ira eſt appetitus vindictæ propter apparentem contemptum. Qua ratione omnis ira naſcitur ex contemptu. confirmat idipſum vſus.

Irato enim cauſa iræ eſt aliqua excellentia, quæ offenditur ex contemptu; ſicut ex parte eius, cui iraſcimur, eſt defectus, quem dedecet paruipendere excellentem. Et eſt veriſſimum, quod omnes cauſæ, & omnia incitamenta iræ reducuntur ad contemptum. Vbi enim non eſt contemptus, licet ſit nocumentum, non accenditur ira. Quod in primis patebit, ſi conſideremus quot modis inferatur nocumentum. Contingit autem id tripliciter: ex ignorantia, ex paſſione, & ex electio-

ſic. Ira verò tunc ſolùm naſcitur, quando ex electione, vel induſtria, vel certa malitia noxa infertur: quia vbi non eſt electio, non poteſt eſſe contemptus.

Ideoque iraſcimur illis, quos putamus ex induſtria nobis nocuiſſe. ſi enim putemus aliquos, vel per ignorantiam, vel ex paſſione nobis intuliſſe nocumentum, non iraſcimur. Actiones enim factæ per ignorantiam, vel ex paſſione iniuriam excludunt, & prouocant miſericordiam, ac veniam. Non conuertitur tamen ſubſiſtendi conſequentia: Nam licèt vbi eſt contemptus, ibi ſemper ſit praua electio, non tamen vbi eſt praüa electio, ibi neceſſariò eſt contemptus.

Sicut vbi eſt homo, neceſſariò eſt animal; ſed vbi eſt animal, non ſequitur, quod neceſſariò ſit homo: hoc patet in furto. Nam fur qui clam aufert res noſtras, ex induſtria, & electione nocumentum infert, & tamen non contemnit; quo in caſu non iraſcimur, ſed dolemus. Neque obſtant rationes, quas affert Gualandus Ariſtotelis æmulus. Nam ad primum Reſp. quod etiam iniuria, quæ ab hoſte armato infertur, non eſt ſine contemptu. Nam ſi abſolutè non contemneret, neque armatus, neque inermis nos inuaderet. Et quamuis, qui nos inuadit armatus, minus

nos contemnat, quàm faceret inermis, abſolutè tamen contemnit. Dum verò hoſtis nos fugit vlturos, atque etiam vltos, non iraſcimur. quid mirum? tunc enim non contemnimur. Quare D. Thomas, qui 1. 2. quæſt. 47. art. 2. tenet cum Ariſtotele ſolum vilipendium eſſe ſtimulum iræ, nobis non videtur ſatisfacere argumento in contrarium, quod primo loco adducit, ſcilicet nos iniuriam paſſos, vel æſtimantes pati, iraſci, & tamen poſſe pati iniuriam ſine contemptu. Nam cum reſpondet ad argumentum, quod ſolus contemptus rationem iræ auget, & propterea eſt per ſe cauſa iraſcendi, non tollit difficultatem. Si enim contemptus ſolùm augeret rationem iræ, non eſſet cauſa adæquata iraſcendi; Et propterea nos dicimus contemptum non ſolùm augere iram; ſed eſſe cauſam adæquatam iræ. Negamus etiam nos iraſci ex iniuriis, in quibus non eſt contemptus, nam ob iniurias nobis ſine contemptu illatas, cuiuſmodi eſt furtum, dolemus quidem; ſed non iraſcimur. Nec cócedimus ab iis, qui nos timent, poſſe excitari iram in nobis; poteſt quidem excitari dolor. Hinc fures, qui timent dominos, & per conſequens non contemnunt, in iis iram non excitant, ſed dolorem, cum timidi, & taciti furantur. Ad ſecundum di-

citur, quod eſt veriſſimum, humiliores, & contemptui magis expoſitos eſſe procliuiores ad iram: vt diximus de ſenibus, cœcis, gibboſis, & monoculis; cum enim in ſeipſis gerant cauſam contemptus, exiſtimant ſemper ſe contemni, & per conſequens, nulla data occaſione iraſcuntur. Quod ſi etiam potentiores iraſcuntur, certè minus iraſcuntur, quia minùs contemnuntur. Neque verum eſt, quod potentes non verentur ne contemnantur. Imò ſeruorum, & artificum deſertum officium, & negligentia non eſt aliud, niſi quidam contemptus; ſi enim non contempſiſſent, non deſeruiſſent officium, & ideo negligere, & contemnere idem ſignificant. Ad tertium dicendum. quod etiam in mercenariis eſt honor quidam; quare cum dolent mercedis cauſa, & cauſa creditæ pecuniæ, ita dolent, quod domini non ſatisfecerint, vt etiam doleant, quod contempſerint: Domini enim non ſatisfecerunt, quia contempſerunt. Idem dicimus ad quartum, de ablatione reiculæ; ex qua pueri iraſcuntur; habent enim pueri etiam honorem quendam innatum, & per conſequens in illos cadit aliquo modo contemptus.

Ad quintum Reſp. quod contemnere aliquem, & auferre exiſtimationem, & laudem in facultate, quam aliquis profi-

tetur, ſunt vnum, & idem; quare qui vult aliquem mouere ad iram, dum dicit fuiſſe contemptum, dicit illi fuiſſe ablatam exiſtimationem, & laudem in facultate, quam profitetur, nec poteſt ab ablatione exiſtimationis contemptus ſeparari. Ad contemptum ergo omnia iſta reducuntur, putà iniuria illata ab hoſte etiam armato; deſertum ſeruorum, & artificum miniſterium, merces, & pecuniæ creditæ negatio, ablatio rei leuioris & exiſtimationis. Sed aliquis obiiciet. Videtur quod aliquod incentiuum iræ non poſſit reduci ad contemptum. Nam contemptus ex Ariſtotele 2. Rhet. cap. 2. aut eſt deſpicientia ſine vllo impedimento, vt obliuiſci, non ſalutare, non honorare, ad colloquendum non admittere, quibus addi poteſt deſertum ſeruorum, & artificum miniſterium; aut eſt incommodatio, ſeu violentiá cum aliquo impedimento voluntatis implendæ; vt ſtudiorum interturbatio. Itemque alium in itinere detinere, curſũ ei impedire, exultare in infortuniis, mala denũtiare; quibus addi poteſt iniuria illata ab hoſte armato, merces, & pecunia credita negata, etiam ablatio rei ludicræ, de quibus ſupra; vel denique eſt contumelia cum dedecore, in qua duo requiruntur. primum, vt noceatur cum moleſtia in iis, in quibus dedecus pa-

henti contingit: deinde vt, qui eam infert, nihil aliud ſpectet, niſi vt voluptatem percipiat, cuiuſmodi eſt ablatio exiſtimationis, vt ſupra monuimus. Sed cum quis iraſcitur, quia res illi inuito auferuntur, non videtur hæc iræ cauſa reduci poſſe ad vllam ſpeciem contemptus ex tribus enumeratis. Quare Ariſtoteles rectius addidiſſet alias ſpecies contemptus; aut ſaltem debebat concedere non omnem iram ex contemptu naſci. Nos concedimus eum, cui res inuito auferuntur, non ſolùm triſtari, ſed etiam iraſci. Ariſtot. tamen in enumerandis ſpeciebus ipſius contemptus non defecit. Nam hoc incentiuum iræ, quæ excitatur ex rapina, commodè reduci poteſt ad ſecundam ſpeciem, quæ dicitur violentia, ſeu incõmodatio. violentia namque eſt quid analogum, ſeu vt dicitur ab vno, quæ primò dicitur de ea, quæ fit alieni incommodi gratia; ſecundò de ea, quæ fit cauſa proprii commodi; eſt enim ſpecies ſubalterna, ſicut aliæ duæ, & prædicatur de pluribus ſpeciebus ſpecialiſſimis cum quadam analogia. Prima violentia eſt illa, qua Cordiſtæ Galatarum populi laborare dicuntur, apud Athenæum lib. 6. hi enim nulla in re vtuntur auro, quin potius illud odio proſequuntur; & tamen ſiquis exterorum aurum habet, eum ſpoliant, nec

quemquam exportare ſinunt; quomodò canes in præſepio, neque ipſi veſcuntur auena, neque equos ea veſci patiuntur. Altera violentia eſt cum per rapinam alios ſpoliamus bonis, vt nos veſtiamur; Et quidem prima violentia meritò eſt primum analogatum; magis enim contemnere dicimur, cum aliquem ſpoliamus, non vt aliquid acquiramus, ſed ne alij quod volunt aſſequantur; minuſque contemnimus, cum aliis auferimus bona noſtræ vtilitatis ratione. hinc eſt quod in primo caſu magis iraſcimur, quàm in altero, maior enim in eo, quàm in hoc contemptus cernitur. Maior contemptus eſt, cum lædimus nulla de cauſa, id eſt ſine appetitu noſtri commodi, vel alieni incommodi; quod fit cum aliquem non ſalutamus, non honoramus, nec ad colloquendum admittimus; & hæc eſt illa prima ſpecies contemptus, quam Ariſtot. 2. Rhet. cap. 2. vocat deſpicientiam ſine vllo impedimento; de qua præcipuè fidem meruit dictum illud quorundam recentiorum; quod contemptus videtur eſſe media quædam conſtitutio inter amorem, & odium, quia licèt quandoque non ſalutare ab odio proueniat (in quo caſu interuenit appetitus incommodi alieni, & eſt non amplius prima, ſed ſecunda ſpecies contemptus, qui dici-

tur incommodatio) poteſt tamen ſine odio reperiri; & in iſto caſu eſt maior contemptus; quia eos, quos non ſalutamus, cum id non procedit ex odio, pro nihilo habemus.

At eos, quos incommodamus, vel contumelia cum dedecore afficimus, non habemus pro nihilo; grauiùs autem eſt pro nihilo habere, quàm habere pro aliquo; neque valet hæc ratio: Vlciſcimur ſæpe incommodationes, & contumelias, deſpicientiam neutiquam, ergo deſpicientia non eſt maior contemptus. Nam id accidit, non quia deſpicientia non ſit maior contemptus, ſed quia illum poſſumus diſſimulare, vel quia lædens poteſt facilius excuſare deſpicientiam, quàm incommodationem, & contumeliam. Cum enim nos non ſalutauit dicere poteſt, id feciſſe, non quia nos pro nihilo habuit, ſed quia non animaduertit nos prætereuntes. Minor contemptus eſt ille, qui fit alieni incommodi gratia, cuiuſmodi eſt violentia cum aliquo impedimento, quæ eſt ſecunda ſpecies contemptus Ariſtoteli, quæ appellatur etiam incommodatio, nec diſcrepat ab iniuriis, quæ facto in perſonam inferuntur. huiuſmodi etiam eſt contumelia cum dedecore, quæ eſt tertia ſpecies contemptus ab eodem Ariſtotele enumerata.

Et hi omnes contemptus dicuntur fieri alieni incommodi gratia, quando illud homines principaliter intendunt; quamuis ſecundariò etiam proprij commodi gratia fieri dicantur, ſcilicet vt omnibus excellere videantur. Quod ſi violenti & contumelioſi mouentur præcipuè deſiderio excellentiæ, cum alios violentia, & contumelia afficiunt, vt plerique nobiles, diuites, & iuuenes facere ſolent, tunc contemptus huiuſmodi, cum potius reſpiciat commodum proprium, quàm alienum incommodum, dicetur vltimus, & minor contemptus. Minimus ergo contemptus eſt ille, qui fit cauſa proprij commodi, & in quo alienum incommodum tantùm ſecundariò ſpectatur, vt fit cum per rapinam alios ſpoliamus bonis, vt nos veſtiamur. Et hic modo explicato, reducitur ad violentiam, quæ eſt ſecunda ſpecies ſubalterna, quam enumerat Philoſophus.

Primus contemptus conſiſtit in iniuriis, quæ factis fiunt, in quantum facta habent rationem ſignificandi, & ſuccedunt loco verborum; qualia ſunt non ſalutare, non admittere ad colloquiumr. Secundus conſiſtit in iniuriis: quæ verbis fiunt, etiam in iis, quæ facto in perſonam exercentur, Tertius conſiſtit in iniuriis, quæ vi fiunt in res. Nam quæ clam inferuntur, veriſimi-

lius eſt eſſe ſine contemptu. Atque hæc de Ira, ex qua inimicitia conflatur, dicta ſufficiant. ſpecies inimicitiæ ex variis gradibus contemptus, & vilipendij deſumi poſſunt. Sed quemadmodum amicitia inter æquales præſtantiſſima eſt, ita inimicitia inter æquales eſt prima: vnde illud;

Concurrunt animis, & viribus æquis.

LIBER IV.

De ſingulari certamine.

DE iniuriis, ex quibus inimicitiæ naſcuntur, & de inimicitia hactenus diſputauimus. Nunc dicemus de ſingulari certamine, in quod deſcendunt homines, iam facti inimici, aut vano vlciſcendi deſiderio, aut probandæ cauſæ falſa fiducia. Tandem oſtendemus modum, quo illatæ iniuriæ purgantur, & pax vera conficitur. Singulare certamen, quód noſtri Duellum appellant, quaſi duorum bellum, ex condicto, non eſt opus præclarum bellicæ fortitudinis, vt falsò exiſtimant multi, ſed eſt dirus furor, contectus larua honoris mendacis, quo iuuentus improuida fit publica victima, priuati Martis. hic abuſus impiiſſimus manauit à Gothis, & longobardis, contra rationem, & humanita-

tem. Nam in ſingulari certamine ſæpe fortitudo, quæ deberet eſſe miniſtra Iuſtitiæ, eſt miniſtra furoris, atque ſuperbiæ. hîc temeritate magis, quàm prudentia res geritur, non enim conſequitur finem læſus, quem ſibi proponit, ſcilicet vindictam, & probationem, occultæ veritatis. De vindicta res plana eſt, nam ſape læſus, qui lædentem prouocat ad ſingulare certamen, iniuriæ delendæ gratia, non victoriam, ſed nouam reportat iniuriam, & quandoque ad id læſus adducitur, vt cogatur vel permittere ſe interfici, ab inimico, vel ei ſe victum turpiter tradere. Adeoque dum læſus vlciſci vult, magis læditur, & in corpore propter vulnera, & in animo propter odium, & appetitum vindictæ. hinc Cicero. 2. de inuentione. ſi hoc conſtitutum ſit, vt peccata homines peccatis & iniurias iniuriis vlciſcantur; quantum incommodorum conſequetur? Qui tuentur cauſam ſingularis certaminis, dicunt læſum, ſi iterum lædatur, non reportare nouam iniuriam, ſed læſionem, & diſtinguunt iniuriam à læſione, & interim inquiunt iſti, læſus etſi iterum lædatur, valorem tamen in prouocatione oſtendit: Nam valori non præiudicat quod læſus iterum lædatur, hoc enim eſt in arbitrio fortunæ. Sed demus, quod læſus redeat de lædente victor, qui qui-

dem euentus eſt ex futuris contingentibus, de quibus determinata veritas dari non poteſt; falſiſſima tamen adhuc opinio eſt, quod iniuria meliùs factis, quàm verbis tollatur: nam ſi contraria contrariis curantur, certè electionem lædentis eiuſdem pœnitentia caſtigabit. Sed hæc pœnitentia palam fit, per verba, quibus paſſiones animi indicantur; at factis ipſius læſi nunquam auferemus electionem lædentis, ex qua manat iniuria. Etſi enim lædentem vulneremus, vulnera tamen non efficiunt, vt illum pœniteat, quod nos affecerit iniuria, imò illum magis ira, & odio inflammant. Et tamen dum vlciſcimur, nil aliud quærimus, quàm lædentis pœnitentiam, ne iterum audeat lædere. Vera ergo vindicta non eſt inimicorum ſanguis effuſus, ſed illorum de illatis iniuriis pœnitentia: hæc eſt plaga ſine ſanguine, ictus ſine telo: hoc pacto captiuus agitur ſine ferro, & triumphus ſine cœde. Quod diximus de vindicta, quam conſequi non poſſumus in ſingulari certamine propter rationes allatas, idem cenſendum de manifeſtatione, & probatione occultæ veritatis. Quid enim abſurdius fingi, & excogitari poteſt, quàm credere ſanguinis effuſione intercedente, veritatem occultam eluceſcere? hæc enim eſt diuini vſur-

patio iudicij, cui occulta reſeruantur, & ſæpiſſimè experientia docuit id eſſe apertum mendacium, quod ex felici euentu ſingularis certaminis diu exiſtimarunt eſſe veriſſimũ fatuæ ſuperſtitionis amatores; Et iure optimo inter probationes damnatas computatur Monomachia, licet aliqui numerent inter diuina iudicia, leges quarundam nationum, qualis eſt purgatio vulgaris, quæ fiebat per aquam bullientem, & frigidam, per ferrum candens, per duellum, & ſimilia, improbatæ tamen nũc ſunt. Nam Deus non fauet vltori, qui dum alterum lædit, appetitum præfert rationi, & ſic cum iniuriam afferat animæ rationali, ſemetipſum etiam offendit; huius rei teſtis Lamech impij Cain progenies, qui ita loquitur de ſeipſo: Virum occidi in vulnus mihi, & iuuenem in cicatricem mihi; & ideo appellatur probatio vulgaris, quia vulgus, cuius proprium eſt errare, putat ex ea manifeſtari veritatem.

Dicitur, & malum ſortilegium, quia repugnat rectæ rationi inducere in teſtimonium, quod non eſt teſtimonium; quoniam conſtat habentes cauſam iuſtam, ſuccumbere quandoque in duello. hoc duellũ ad probationem occultæ veritatis inſtituit Lud. Arioſtus inter Rodomontem, & Rogerium, in quo Rodomontes ſe iactabat

ante ſolis occaſum oſtenſurum, Rogerium fuiſſe infidum: ac ſi viribus corporis, & militari arte id poſſet oſtendi, quod falſum eſſe idem Arioſtus teſtatur illis verſibus.

O foſſe la forteza, o la ragione,
che ſpeſſo la vittoria oue vuol pone.

Quandoque etiam ſingulare certamen ordinatur ad oſtentationem virium tanquam ad finem; quale fuit illud quod Goliath indixit Iudæis, in quo Dauid violento excuſſi lapidis ictu, nobilem victoriam quæſiuit populo Iudaico de gente Philiſtæa; & hoc etiam eſt illicitum. Nam eſt contra rectam rationem, quod pro oſtentatione virium quis pugnet, & diligat alterum percutere: huiuſmodi etiam ſingulare certamen pro gloria militaris diſciplinæ legitur apud Homerum 7. Iliados, inter Hectorem, & Aiacem, ſorte electum ex nouem Græcorum ducibus. Quare duellum ſiue ad vindictam, ſiue ad probationem occultæ veritatis, ſiue ad oſtentationem virium, eſt illicitum. Et quidem duellum eſt naturæ contrarium, tum inſtitutioni morali, tum ciuili, tum diuinæ. Eſt naturæ contrarium, quia natura non deſtruit, ſed conſeruat; & hominem natura progenuit ad alterius ſalutem, & ſocietatem. Dicetis, vim vi repellere licet, do-

cente natura. Reſp. quod naturali legê pro noſtri conſeruatione licet vim tunc, cum nobis infertur, propulſare; cum illo moderamine inculpatæ tutelæ, quod eſt quidem poſſibile; ſed ita difficile inuentu, ſicut quadratura circuli. Sed tamen nonlicet poſt iniuriam iam illatam dimicare cum eo, qui iniuriam intulit, vt eum interficiamus, neque ex condicto pugnare. Nam vis, cum eſt illata, repelli non poteſt. Quod enim factum eſt, infectum reddi nequit; & in hac pugna ex condicto, quæ eſt illicita, conſiſtit duellum, non autem in illa prima propulſatione iniuriæ, quæ licita eſt. Sed iterum obiiciet quiſpiam. Ira eſt naturalis, ira verò eſt appetitus vindictæ; ideoque vindicta eſt à natura. Reſp. quod ira, quæ ratione gubernatur, non eſt appetitus vindictæ ſumptæ pro læſione, ſed ſumptæ pro conatu remouendi impedimenta, & propellendi iniurias, quas ſatis propulſamus, cum oſtendimus, nos lædere potuiſſe, modò libuiſſet. Et hinc eſt, quod cum quis ſe fatetur victum, ceſſat ira in victore, etiamſi victum non lædat.

Dici etiam poteſt, iram eſſe quidem appetitum naturalem vindictæ; ſed non vindictæ, quæ ſit ſumenda à læſo manu propria, ſed de ea, quæ ſit, modo legitimo

per

iudicem. Duellum aduerſatur etiam inſtitutioni, morali; quia honor non eſt complicatus cum viribus corporis, nec pendet ab iis, ſed à virtutibus moralibus, quæ corporis robore non menſurantur. quod ſi corpus eſſet legitimum teſtimonium honoris, ruſtici eſſent maiori honore digni, quàm nobiles: imò tauri, quàm homines. Denique pugnat cum lege ciuili, & diuina, quia neutra permittit homini priuato alterum interficere. Vtraque priuatum hominem conſiderat, vt conſtitutum ſub alterius imperio. at qui alterius imperio ſubiacet, ſui iuris non eſt, & propterea non poteſt ad libitum de ſua, vel de alterius vita diſponere. Neque is dicetur fortis, qui prouocatus ad ſingulare certamen, honoris impulſu manus conſerit cum prouocante. Idque probatur non ſolùm lege ciuili & diuina, ſed etiam ſecundùm principia Ariſtotelis, cui etiam ethnici, & gentiles non contradicunt. Nam Ariſtot. in lib. Ethic. oſtendit non eſſe verè fortem illum, qui licet acriter pugnat, cogitur ducis imperio irruere in hoſtes; aut acriter pugnat, quia conſtitutus iuxta alicuius fluminis ripam, non poteſt impetum hoſtium effugere. Ita virtus, quæ non eſt talis, niſi ob vitandam ignominiam, eſt abiectio animi larua fortitudinis contecta.

quid ergo agendum prouocatis? latibula neutiquam quærenda, ſed capite erecto incedendum. Quod ſi aduerſarius eſt ita audax, & temerarius, vt nos aggrediatur; debemus nos tueri nos ipſos, & vim vi repellere, quod lege naturæ permittitur. Id etiam reſpondere conuenit, quod Cæſar Auguſtus à Marco Antonio prouocatus reſpondit; quod quando deſperatione rerum mundanarum vitam odio habere cæpiſſet, inueniſſet viam mortis magis honeſtam, quàm illam ſingularis certaminis, feram, & brutalem. Aduertendum tamen quod duellum non eſt malum ex ſuo genere, vt mendacium, & adulterium, inuidia, & ſimilia, quæ nulla ratione ſunt licita, nam poteſt quandoque eſſe licitum, & in aliquo caſu concedi; dummodò conceſſio ſit conſentanea rectæ rationi, non falſo nixa fundamento. Nam ſicut bellum multorum non eſt malum ex ſuo genere, multa namque ſunt bella iuſta inter Reges, ita procul dubio contingit eſſe bellum iuſtum inter duos. Nam vnum, & multa non variant ſpeciem, conſentanea etiam rectæ rationi erit conceſſio, dum geritur bellum inter duos Principes, quod legitimum eſt, vel ex parte vnius, vel ex parte vtriuſque. Præſuppoſito igitur legitimo bello inter duos Principes; Nos dicimus,

quod ſi inter exercitus vtriuſque bellum eſſet legitimum, etiam legitimum eſſe poſſet inter ſingulos, vtriuſque exercitus, dum pugnarent ob communem belli cauſam, & cum Autoritate Principum: quia vt totum ſe habet ad totum, ita pars ſe habet ad partem. Quare ſi pro maiore malo vitando, vt regionum incenſione, & vrbium depopulatione, & populorum ſtrage, conuenirent Principes inimici, vt vel ipſimet, vel alij ab illis electi; ſingulari certamine litem vniuerſam dirimerent, ac ita bello publico imponeretur finis, certè id fieri liceret. Quia tunc duellum potiùs certamen publicum, quàm ſingulare dici poſſet: quia ita eſt factum à ſingularibus perſonis, vt ſit initum nomine publico, & eſt occaſio euitandi maioris mali. Et in iſto caſu iraſcibilis voluptas rationalis eſt; quia publicas iniurias vlciſcimur. Sicut ex aduerſo ſenſitiua eſt; quia publicas iniurias vlciſcimur. Sicut ex aduerſo ſenſitiua eſt, cum vlciſcimur proprias iniurias; quare in hoc non aſſentimur Caietano dicenti 2. quæſt 95. art. 8. quod non debet victoria committi vnius periculo. Bellum iuſtum, inquit ille, aut eſt vindicatiuum, aut defenſiuum: ſi eſt vindicatiuum, agens debet ſuper excedere patiens, & propterea huiuſmodi bellum non poteſt niſi à potentiore indici; quod in duello ſeruari non poteſt: Si

verò bellum iuſtum eſt defenſiuum, oportet imitari res naturales, quæ quantum poſſunt reſiſtũt contrariis;Et in huiuſmodi bello fortificari debet, quantum fieri poteſt, virtus reſiſtens Contrarium autem huius fit in duello, quia dum vnus ponitur ad reſiſtendum vni, ab eodem debiliter conſulitur huic defenſioni, & propterea debet defendi iuſtitia cum multitudine forti: hæc Caietanus. Huius doctrinam minimè amplectimur. Nam ita ſe habet vnus ad vnum, vt multi ad multos; quare ſiue bellum indicatur, ſiue ſuſtineatur, idem eſt, ſi vnus cum vno, an multi cum multis congrediantur; nam ita vnus poteſt vnum aggredi, & ſuperare, vt exercitus exercitum; & ita vnus vni reſiſtere, vt exercitus exercitui. Nec valet dicere, quod vnus nõ ſuperexcedit patiens, nec imitamur res naturales, ſicut facit exercitus, vindicatiuus & defenſiuus, nam ſi hic poteſt eſſe validior, poteſt etiam eſſe debilior. Imò ſæpe contingit, quod vindicta, & defenſio ſpectet ad magis debiles, etenim ſunt obnoxij iniuriis, vnde coguntur ſe vindicare, & ſunt pariter oppugnationibus, quo nomine coguntur ſe defendere. Quarè ſi vnus cum vno congreditur, non continget huiuſmodi abſurdum. Vitanda ergo ſunt quandoque regnorum incendia, & vrbium depopulationes, Et hæc dicitur indulgentia multitudinis, nam cum

inter duas ciuitates eſt bellum, Reges multitudini parcũt, cum ab iis de vtriuſque conſenſu reſoluitur totum bellum in duellum. Neque propterea dicimus non imitari nos res naturales, imò earum exemplum ſequimur. Nam ſicut homo, docente natura, manus tantùm opponit percutienti, vt illæſæ remaneant ceteræ partes nobiliores ipſius corporis. Ita Rex quandoque vnum tantùm militem in diſcrimen adducit, vt ceteri incolumes ſeruentur. Cum igitur bellum eſt inter ciuitates duas, licitè poteſt parcendo multitudini, illud reſolui in duellum de partium conſenſu. Huiuſmodi fuit illud ſingulare certamen, quod legitur de filio, Coſroë Perſarum Regis, & Heraclio Imperatore; in ſacra hiſtoria exaltationis ſanctæ crucis. Huiuſmodi etiam fuit illud, quod Martinus Pontifex conceſſit Regi Carolo, & Petro de Aragona in controuerſia Regni Siciliæ, vt ſcribit Ioan. Villan. Et pariter eiuſdem generis fuit illud ſingulare certamen Paridis, & Menelai apud Homerum, 3. Iliados, cuius poëma ex ſententia Platonis eſt regula humanæ vitæ. Certamen hoc inter Menelaum, & Paridem conceſſit ſapientiſſimus Homerus, vt finis perniciosiſſimo bello imponeretur, hac lege, vt qui eorum victor remanſiſſet, Helenæ exiſteret ſine lite poſſeſſor: idque iureiurando firmarunt; & Homerum imi-

tatus Ludouicus Arioſtus, vt finis imponeretur bello inter Agramentem, & Carolum, ex vna parte Renaldum, ex alia Rogerium elegit. Hæc rationalis conſuetudo reſoluendi bellum in duellum, quam in operibus bellicæ fortitudinis ſeruatam legimus, cernitur etiam quandoque expreſſa in operibus iuſtitiæ, quæ ſcelera vlciſcitur. Nam ſi vniuerſus exercitus ab Imperatore defecit, pauci ex omnibus ſorte capiuntur, qui pro ceteris pœnas dent, ne tota gens pereat. Cum igitur nos impiiſſimum Monomachiæ abuſum deteſtamur, non loquimur de ſingulari certamine inito permiſſione conſentanea rectæ rationi; quod potiùs publicum, quàm ſingulare dici debet, quia fit ob publicum commodum, & Principum iuſſu. Supereſt vt rationes aliquas afferamus ex quibus orta eſt hæc impiiſſima Monomachiæ conſuetudo. Quia apud aliquos ciuitatum Rectores dignitatem ſuam non retinuit illa honoris compenſatio, quam læſis publica iuſtitia reddere poteſt, eos, qui alterum iniuria affecerint, proportione quadam pœnis afficiendo, ſed earum loco prædicti aut ab huiuſmodi reis pecuniam extorſerunt, quod ſanè pœnæ genus ad honoris inſtaurationem minimè confert, aut lædentibus pœnam abſque læſi conſenſu remiſerunt; ideò homines læſi coacti fuère

ipſi vlciſci iniurias. Secunda ratio eſt, quia multi veterani, & honore inſigniti milites, qui autoritate valent, præcipites fuêre, ac ſtatim iuuenes ipſos ad ſingularia certamina impulerunt, eo conſilio, vt poſt arma eoſdem pacis fœdere coniungerent; quod certè honoris gratia ſuperfluum eſt. Sed dicti milites aut verba, aut ſcripta componere, aut alium aliquem modum, quo rixas, & controuerſias dirimerent, inuenire neſcierunt; cum omne ferè vitæ ſuæ tempus Marti potiùs, quàm Muſis conſecrauerint, & ideo ſunt excuſatione digni. Sed non excuſatione tantùm digni, ſed etiam laude digniſſimi erunt, ſi ipſis placuerit eorum vti conſilio, qui in rebus tum politicis, tum militaribus aliquid ſtudij poſuerunt, vt aliqua ratione controuerſiæ honorificè componantur, de quare poſtea agemus.

Sed conceſſo ſingulari certamine, quod antea damnauimus, & præſuppoſito, quod duo hoc modo inter ſe dimicent, quæritur; an qui ſuccumbit permittere debeat ſe interfici, an potiùs ſe victum fateri, & ſe victum tradere. facta ſuppoſitione, quæ tamen falſa eſt, & inhumana, quod ex robore corporis, & arte militari prodeat verus honor, & gloria, & quod in ea gloria ſummum bonum ſit poſitum. Reſp. iuxta principia Ariſtotelis, quod, qui ſuccumbit, po-

tiùs permittere debet vt interficiatur; quia ſine honore vita negligenda eſt, & mors turpi ſaluti præferenda.

Quare viri fortis dedecus, & ſeruitutem magis, quàm mortem, formidare debet; quo fundamento nonnulli dixerunt virum fortem ſibi quandoque manus inferre debere, ne apud hoſtes turpiter viuat, tanquam vile mancipium. Et Plato 5. de Repub. innixus eidem fundamento dicebat, quod qui viuus ab hoſtibus captus fuerit, etiam gratis reddere volentibus relinquendus eſt. Lex quidem digna tanto viro aduerſus eos, qui dimicantes turpem ſalutem honeſtæ morti prætulerunt. Noſtra concluſio innititur definitioni, quam homini forti aſſignant Ariſtoteles, fortis autem definitur, qui intrepidus eſt in pulchra morte; ex qua definitione perſpicuè conſtat, quod illi, qui in ſingulari certamine tradunt ſe in manus inimicorum, ne ab illo interficiantur, ſunt timidi, quia timent imminens periculum mortis, quod fortes ſpernunt. multò etiam timidiores illi ſunt, qui ſe tradunt in poteſtatem alicuius, & vt aiunt (*ſi rimettono à libera diſcretione dell' offeſo*) vt cum eo reconcilientur. Iſti enim timent etiam non imminens, ſed longinquum, & incertum periculum mortis, nondum enim ſunt in periculo mortis, ſed timent ne in-

terficiantur in poſterum. Et ideo magna ignominia ſemetipſos afficiunt illi, qui in alterius poteſtatem ſe liberè remittunt.

Secundò quæritur: an ij, qui tantùm ob cupiditatem honoris, vel metum ignominiæ certant in ſingulari certamine, ſint ſecundùm Ariſtotelem verè, & ſimpliciter fortes? Hoc verè negatur, nam vt ipſe docet, non eſt vera fortitudo, ſed ciuilis illa, cum ciues ſubeunt pericula ob legum increpationes, & dedecus, & ob honores. Quare hi ſunt tantùm ciuiliter fortes, quia non ſubeunt pericula od virtutem, & honeſtatem, ſed ob honoris cupiditatem: vt hodie maior pars hominum facere ſolet, qui certant ſingulari certamine. Siquis verò id ob virtutem agat, & ſe exponat periculis propter honeſtatem, tum ſecundùm principia Ariſtotelis eſt verè fortis, & vera laude dignus.

Tertiò quæritur: an veluti fortes laudandi ſint ij, qui in ſingulari certamine eligunt armorum genera inſueta aliis, & quibus ipſi ſoli vti nouerunt? Reſp. negatiuè: hi enim non vincunt, quia ſint fortiores, ſed quia magis ſunt experti in his armis; & fortitudo ſicut non eſt ſcientia terribilium, velut exiſtimauit Plato in Protagora; ita neque eſt experientia terribilium; fortis igitur ex Ariſtotele non fit ob ſcientiam

nec ob experientiam, ſed ob virtutem, & honeſtatem. Quare qui verè fortes ſunt, vti debent conſuetis armis, quæ ab omnibus quotidie tractantur, neque in his vllum maius commodum ſibi comparare. Similiter qui robuſto ſunt corpore vel magno, cum debilibus vel paruis pugnãtes, nõ debent his vti armis, quæ à debili aut à paruo tractari non poſſunt: neque etiam illis, quibus mediãtibus ad luctam facilè peruenire poſſint cum aduerſario: quia hoc pacto corporis robore vincunt, non animi fortitudine; & qui huiuſmodi aſtutiis vtuntur, præliantur, inquit Ariſtoteles, ſicut armati cum inermibus. Quare ſicut ignominioſum eſſet hominem armatum inermem oppugnare, & adoriri, ita quoque ignominiam ſibi comparant, qui huiuſmodi cautelis vtuntur in armorum electione.

Quod ſi hi ſunt vituperandi, qui in ſingulari certamine ea eligunt armorum genera, quibus ipſi rectiùs vtuntur, quàm aduerſarij; quantò magis illi ſunt omni ignominia, & vituperio digni, qui non magna virtute, ſed magna caterua, & ſimul cum multis aliquem ſolum adoriuntur. Hi certò ſunt omnino à cœtu hominum, honore præditorum explodendi; quia ipſimet teſtantur ſuum animum exiguum, ãtque puſillum, cum non audeant æquo

Marte pugnare, oſtendunt enim ſe timere illius virtutem & fortitudinem, ſi æqualiter cum illo pugnarent. Ideo hoc apparatu fatentur ſe virtute, & fortitudine aduerſario inferiores eſſe.

Quartò quæritur: an fortes vocandi ſint ij, qui cum in ſingulari certamine vulnera acceperint, tunc præ ira, & dolore efferantur in inimicos, ita vt illos interficiant? Negatur, quia non ob virtutem id agunt, ſed ob dolorem vulnerum irati, non videntes pericula, deſperati de vita in mortem ruunt. Hos comparat Ariſtoteles feris vulneratis, ratione carentibus, at vera fortitudo eſt virtus cum recta ratione, quam hi omnem proiecerunt.

Quintò, & vltimò quæritur: an qui prouocati ſingulari certamine intra vallũ pugnãt ſint fortiores, quàm illi, qui ex tempore adorti ab inimicis ſe viriliter, & ſtrenuè defendunt & fortiter pugnãdo reſiſtunt? Negamus omnino; nam illi, qui repentina pericula ſubeunt, ſunt fortiores, quia magis ex habitu agunt, cum ſine præmeditatione agunt; ſignum enim eſt, quod ſunt maximè confirmati in habitu fortitudinis. licet enim imparati in imminens periculum inciderint, ſubeunt tamen illud fortiter, & potiùs eligunt vitam deſerere, quàm virtutem. Sed illi, qui pugnant ſin-

gulari certamine, diu præmeditantur periculum, & ad illud ſe præparant, & ſperant ob experientiam in armis iam acquiſitam ſe fore victores, magiſque arti gladiatoriæ fidunt, quam diu exercuêre, quàm animi fortitudini. Huic noſtræ ſententiæ fauet doctrina Ariſtotelis, qui affirmat, fortiùs eſſe in ſubitaneis timoribus eſſe intrepidum, & conſtantem, quam in his, quæ præuidentur.

Nam quæ fiunt in ſubitaneis timoribus, fiunt magis ex habitu, & minus ex præparatione.

LIBER V.

De ratione Pacis conciliandæ.

DE Iniuriis, quæ inferuntur, ex quibus inimicitiæ conflantur, ſatis ſuperque dictum eſt. Sequitur vt oſtendamus, quomodo propellendæ fuerint. Non enim Ethnicorum clementiam, aut patientiam Martyrum prædicamus, nec ſuademus veniam, quæ datur, etiamſi ille, qui iniuria affecerit, non fateatur ſe improbè feciſſe, nec præſe ferat ſe eius iniuriæ valde pœnitere, neque veniam ſupplex deprecetur.

Perferre iniurias ſeruile eſt, teſte Ariſtotele, 4. Ethic. cap. 5. ſicut vindicta eſt

Principibus digna: prouerbio etiam circumfertur, qui veterem ſuſtinet iniuriam, nouam inuitat, & eſt præda aliorum. hinc eſt quod læſus lædentis pœnitentiam quærit, ne iterum auſit lædere.

Clementia tamen eſt lædenti ignoſcere magnitudine animi, & non tam illius cauſa, quàm vt læſus virtutem ſuam omnibus comprobet, quæ etiam apud Ethnicos reperitur. Charitas verò erga inimicos eſt vere, & ex animo illos diligere, & illis bene velle, & illorum cauſa eos beneficiis afficere. quæ ſolùm hominis pij eſt, & Chriſtiani. De modo autem propulſandi iniurias iam factas, eruditi inter ſe diſſentiunt.

Prima ſententia eorum eſt: qui dicunt, quod perſona priuata debet per ſeipſam depellere iniurias ſibi illatas: in quo ratio vindictæ cõſiſtit. ſicut cuilibet priuatæ perſonæ licita eſt ſui defẽſio, ne iniuria inferatur, iuxta illud: vim vi repellere licet; atque hæc opinio vult læſos, vt morſi à ſcorpionibus facere ſolent, medendos eſſe extinctione lædentiũ. Secunda ſententia ſtatuit, quod vindicatio non ſpectat ad perſonam priuatam, ſed debet læſus confugere ad perſonam publicam, cuius eſt vlciſci iniurias, & pœnis afficere lædentem; qua de cauſa iudex gladium geſtat in quo ratio

pœnæ, & caſtigationis conſiſtit.

Tertia ſententia dicit, illatas iniurias repellandas eſſe ſatisfactione accepta; ſicut à canibus morſi, lingua eorundem lingendi ſunt; quod fit conſilio, & miniſterio eorum, qui iuſſu Principum paci præficiuntur. Hi verò eſſe debent integri, & nemini addicti; prudentes, honorati, patientes, & promptiores ad perſuadendum, quàm ad imperandum. Hunc morem in ciuitatibus bene conſtitutis conſeruari videmus: vbi eliguntur viri nobiles, & prudentes, quorum opera, & ſollicitudine non ſolùm ſimultates, & inimicitiæ extinguuntur, ſedetiã ad amicitiã, conſuetudinemque traducuntur. Siquis verò eas adeò inſitas habeat, vel ita ſit contumax, vt rogatus ad quieté reuocari recuſet, huic ea medicaméta parantur, quibus ea pars corporis curari ſolet, quæ reliquo corpori nocere poteſt. Nimirum publica autoritate è ciuium conſortio eiicitur. Horum igitur munus eſt, modos accuratè conſiderare, quibus veteres iniuriæ purgentur, & offenſa dignitas reſtauretur. In quo conſiſtit ratio compenſationis, & ſatisfactionis. Et in hoc caſu concedunt huius tertiæ ſententiæ autores ſecundam ſententiam habere locum; cum enim id, quod per vim, & iniuſtè eſt ablatum, reſtituere nolit ille, qui abſtulit, tra-

dendo ſatisfactionem, quam pacis præfecti inuenere, neceſſitas cogit, vt læſus illud quærat optima,& honeſtiſſima via, qua poteſt: ea verò eſt per leges,& magiſtratus. Vnde cum aliqui dicũt. quid ſi læſo debitæ ſatisfactiones à nemine offerantur, debet ne inultus, & cum dedecore mori? In iſto caſu poterit implorare officium iudicis, vel etiam arma capere.

Neque propterea dicetur ignauus iudicis officium implorando, vel furioſus dum arma capit. Quod ſi aliquis quærat: quænam via ex his duabus priùs ſit eligenda? Reſpondebimus primò eligendam illam, quæ officium iudicis implorat. Quod ſi iudex, qui gladio armatus iniuriarum vindex eſt, noluerit fungi officio ſuo, tunc licebit læſo arma capere.

Nam vbi ceſſat prouidentia legis, locum habet prouiſio hominis etiam priuati. Tam Princeps, quàm iudex eſt viua, & loquens lex.

Vnde cum prouiſio Principis ceſſat, cum non offerat læſo debitas ſatisfactiones; item cum ceſſat prouiſio iudicis, qui deberet vlciſci iniurias, priuatorum, eaſque relinquit impunitas, prouiſio vtique hominis læſi habet locum. Quemadmodum verò ſi omnia in hoc ſæculo vindicata eſſent, diuina iudicia locum non haberent, vt

inquit Anacletus, ita ſi Principes, & iudices ſeuere vindicarent iniurias priuatorũ; priuati non eligerent ſcipſos arbitros ſuarũ contentionum, neque illas proprio gladio dirimerent: ſed quia iudices nimis faciles ſunt, qui ignoſcant lædentibus, quod quidem non facerent, ſi ipſi fuiſſent læſi, ideo priuati nolentes iudices prodigè effundere aliena bona fortunæ ſcilicet exiſtimationem, coguntur arma capere, & ipſimet iudices fieri iniuriarum, quæ ſibi fuerunt illatæ, adeoque ius ſuum ſibimet tribuunt, cum iudices amore, vel pecunia corrupti nolunt operam dare, vt iuris, & iudiciorum æquitate ſuum quiſque teneat, & præſertim tenuiores propter imbecillitatem circumueniantur. Acerrimi ingenij vir, mihique amiciſſimus, Nonne, inquit, hoc quod læſo permittis, paulò ante interdixiſti? ſi euertis ſingulare certamen, cur reædificas illud; Philoſophum decet congruenter ad ſua principia philoſophari. Sed hic nodus facilè ſoluitur, ſi dicatur læſum poſſe in hoc caſu ſingulari, & ſpeciali contra eum, qui læſit, arma capere; tum quia vbi ceſſat prouiſio legis, locum habet prouiſio hominis; tum quia id facere non eſt in ſingulare certamen deſcendere, ſed potius ſumere inculpatam ſui ipſius tutelam, & vim vi repellere.

Nam

Nam læſo, cui is qui læſit non ſatisfacit, nec reconciliari curat, noua imminet læſio, quia vt prouerbio dicitur, & experimẽto monſtratur; qui primã non vlciſcitur iniuriam, nouam inuitat. Iudex verò priùs eſt adeundus, quàm arma capiẽda. Etenim cũ tres ſint honoris ſpecies: opinio ſcilicet, de alterius dignitate: opinio de alterius beneficentia, & denique opinio de alterius valore, qui conſiſtit in animi, & corporis robore, & in ſymmetria virium cum voluntate, certè prima ſpecies videtur eſſe præclarior. Vnde cum de duobus malis minus ſit eligendum, eligibilius erit in caſu neceſſitatis, priuari tertia ſpecies honoris, quæ in valore conſiſtit, non capiendo arma vltionis gratia, quàm priuari prima ſpecie, quæ conſiſtit potiſſimùm in actione iuſtitiæ. Quandoquidèm dignitas dicit aggregatum omnium virtutum; qua ſpecie priuatur, qui arma capit, cum verè ad priuatum non ſpectet vltio iniuriarum. Hinc apparet error multorum; qui in componendis inimicitiis ita ſunt de tertia ſpecie honoris ſolliciti, vt primã ſpeciem obliuiſcantur, & credunt læſum eſſe priſtinæ dignitati reſtitutum, ſi lædens fateatur læſum nec terga dediſſe, neque vlla indicia timoris oſtendiſſe. Cum tamen deberet lædens primo loco fateri, læſum iniuſtè

non egiſſe, licèt ipſe, qui læſit; ita exiſtimauerit, quia id, quod læſus fecit, vel per vim, vel per ignorantiam, lædens credidit à principio interno, & ſcienter à læſo fuiſſe commiſſum. Primam ſententiam amplectuntur milites litterarum imperiti, qui omne ſuæ vitæ tempus in prælio traduxêre. Secundam imbelles, & ignaui. Tertiam ii, qui in rebus tum politicis, tum militaribus ſtudium, atque operam poſuerunt.

Prima opinio arguit eum, qui vlciſcitur, ſuperiorem eſſe, & propterea dedecorat eum, quem vlciſcitur. Secunda arguit impotentiam in eo, qui eſt læſus, & propterea multi illam improbant. Tertia opinio redigit extrema ad æqualitatem, vnde nec lædentem, qui ſatisfacit, nec læſum, qui accipit debitas ſatisfactiones, vlla ratione diffamat. Vindicta oritur à læſo, pœna à ſuperiore, ſatisfactio à lædente. Prima ſententia, quod ſcilicet quilibet priuatus per ſeipſum, & proprio gladio vindicare debeat iniurias ſibi illatas, falſa eſt; quia vindicatio eſt actus iuſtitiæ legalis, ſecundùm formam commutatiuæ iuſtitiæ, & non eſt actus ſingularis perſonæ, ſicut actus ſingularis perſonæ eſt comutatio, & gratiarum actio; quare quamuis ſit licita commutatio inter partem, & partem, & gratiarum actio; inter beneficum, & beneficiarium,

non eſt tamen licita vindicatio inter lædentem, & læſum. Vnde vindicta, quæ ab homine priuato exercetur, appellari poterit ſpecies quædã effrenatæ iuſtitiæ. Dicetur iuſtitia, quia vindicatio eſt actus iuſtitiæ. Dicetur effrenata, quia actus vindicationis eſt actus iuſtitiæ legalis, & ſpectat ad Principẽ, nec eſt actus ſingularis perſonæ. Et quidem homo priuatus habet proprium ſuperiorem, cum ſit pars alicuius Reipublicæ, & animal politicum, vnde ad ſuperiorem poteſt recurrere pro vltione inimicorum ſuorum; & propterea ex ſua natura non habet auctoritatẽ vindicatiuam. Ideò enim, inquit Seneca, Magiſtratus legeſque à maioribus accepimus, ne ſui quiſque doloris iudex ſit. Et in hoc differt à Republica, ſiue Principe, qui ex ſuæ naturæ perfectione habet autoritatem vindicatiuam.

Ad priuatam verò perſonam non ſpectat, niſi vim vi repellere cum moderamine inculpatæ tutelæ: extra moderamen autem inculpatæ tutelæ eſt, quod quis priuatus ſe, vel alios vlciſcatur; vnde non licet priuato occidere occiſorem ſui patris. Reſpublica autem, & ſuorum membrorum, & ſui eam curam habet, vt non ſolum poſſit moderatè vim vi repellere, ſed etiam vindicare iniurias ſui, vel ſuorum, non ſolùm contra ſibi ſubditos, ſed extra-

neos. Caietanus. 2. 2. quæſt. 40. art. primo. Vindicatio itaque ſi non ſpectat ad perſonam priuatam, iure prohibetur, & quò magis in eam propenſa eſt hominis natura, eò magis eſt à legibus eradicanda; nam prima iniuria ſolummodo leges violat, ſed vindicta munus etiam illis proprium vſurpat. Quare dici non poterit iuſtum regimen veri honoris, vlciſci proprio gladio iniurias ſibi illatas: hoc enim eſt vſurpare officium Principis, & iuris præcepta violare, quorum vnum eſt;

Ius ſuum vnicuique tribuere.

NEque ille honore dignus dicendus eſt, qui iuſtitiam deſerit: nam honor, vt docuimus, eſt conceptus alienæ virtutis actiuæ, quæ præcipuè in virtute iuſtitiæ, quæ ceterarum Regina, cōſiſtit. Soli itaque perſonæ publicæ, quæ reddit alteri æquale ſecundùm quantitatem proprer commune bonum, vindicta conuenit. Pro cuius ſententiæ maiori explicatione, animaduertendum; quod tria concurrunt ad vindicationem, videlicet ratio debiti moralis, ratio debiti legalis, & actus ſcilicet reddendi malum pro malo.

Si inſpiciatur ratio debiti moralis, priuata perſona eſt ſubiectum vindicationis, quia cogi non poteſt ad hoc, vt vindicet

proprias iniurias; ſi verò inſpiciatur ratio debiti legalis, perſona publica eſt ſubiectum, quia iudex poteſt cogi ad vindictam exercendam. Si verò ſpectemus naturam ipſius actus, videlicet reddendi malum pro malo, perſona priuata nullo modo eſt ſubiectum vindicationis, ſed tantùm perſona publica, & in dignitate conſtituta, ad quam ſpectat malos homines caſtigare; Et eſt ſingulare in hac virtute vindicationis, quod perſona priuata, quæ eſt ſubiectum huius virtutis, ratione debiti moralis, non poteſt per ſeipſam conſummare actionem propriam illius virtutis, propter neceſſitatem materiæ, quæ eſt malum pœnæ, ſed debet adiungi publica poteſtas, cuius eſt exercere, & conſummare actionem propriam dictæ virtutis vindicantis. Nam reddere malum pro malo ex vindicta vt faceret perſona priuata, eſſet actus odij contrarius charitati, & per conſequens improbandus. Ideoque perſona priuata, quæ eſt ſubiectum virtutis vindicantis, ratione debiti moralis actionem ſuam conſummare non poteſt; id enim ſi faceret, virtus haberet actionem vitioſam, quod eſt abſurdum. At reddere malum pro malo in punitionem, & emendationem, vt facit iudex, eſt actus laudabilis. Et propterea iudex, qui eſt ſubiectum vindicationis ratio-

ne debiti legalis, poteſt ſuam actionem etiam perficere.

Poteſt autem persona priuata actu commutare, & benefacere, & vim vi repellere, quia reddere bonum pro bono, vt accidit in permutatione, & beneficentia, ſui etiam ipſius defenſio eſt actus laudabilis. Et propterea virtus iuſtitiæ commutatiuæ, & virtus gratitudinis, & inſtinctus naturalis propriæ tutelæ, etiamſi ſint in homine priuato, poſſunt actiones ſuas conſummare.

Secunda ſententia, quod ſcilicet occaſione iniuriarum confugiendum ſit ad Principem, qui propterea gladium gerit, nec poteſt relaxare pœnam, ſi is, qui paſſus eſt iniuriam, eam dimittere nolit, ex ſupra dictis vera eſt; ſed non eſt ab omnibus recepta, nam quandoque pœna à iudice illata non ſufficit, quia illa poteſt eſſe ſine interiore pœnitentia lædentis. Quare cum lædentem non pœniteat intrinſecùs nocuiſſe aduerſario, nec dolor caſtiget iniuriam, quam intulit aduerſarius, læſus non videtur eſſe tutus à noua læſione.

Videtur etiam hæc via legalis vlciſcendi iniurias maximè abhorrere à communi vſu & ab honoris diſciplina; Nam licet implorare officium iudicis ſit actus iuſtitiæ, &

per conſequens non ſit contrarius honori, qui eſt opinio de alterius probitate; aduerſatur tamen honori, qui conſiſtit in ſymmetria, & commenſuratione virium ad voluntatem (quemadmodum etiam vltio occulta eſt vltio, & tamen ſordida eſt, & indigna viro nobili, & magnanimo, qui propterea palam vlciſcitur iniurias) etenim imbelles tantùm, & timidi ſolent legum præſidio tueri ſeipſos ab iniuriis inferendis, & illatas vindicare. Sed ceteri homines erubeſcunt in ius vocare lædentes, ne potius legum, quàm propriarum virium beneficio dignitatem, vitam, & res tutari videantur.

Tertia ſententia, quod iniuriæ debita ſatisfactione tradita, & accepta, tollantur conſilio, & miniſterio eorum, qui iuſſu Principum paci præficiuntur, verè caret omni difficultate, & cum ſit media inter primam, & ſecundam tutiſſima incedit.

Hæc per ſe non vlciſcitut iniurias, vt dictat prima ſententia, neque illas vindicat confugiendo ad Principem, qui propterea gladium portat, vt facit ſecũda ſententia, ſed domi expectat ſatisfactiones debitas, & iuſtas pacis conditiones, quibus offenſa dignitas integrè inſtauretur. Interiorem præterea lædẽtis pœnitentiam in illius animum inducit: nam pacis compoſitores

magis ſuadent quam imperant; hæc veniam largitur, ſed pœnitentibus, neque aduerſatur Ariſtoteli, quia rationes, & verba Ariſtotelis, quæ volunt vindictam eſſe ſumendam, & non dandam eſſe veniam, intelligi debent de venia, quæ datur etiamſi lædentem non pœniteat ſe læſiſſe. Et quidem hæc tertia opinio eſt melior cùm prima, tum ſecunda. eſt melior prima, quæ vult læſum proprio gladio vlciſci iniurias; quia hoc repugnat legi diuinæ. Nam ſi læſi intentio feratur principaliter in malum lædentis, de quo vindictam ſumit, & ibi quieſcat, eſt omnino illicitum lege diuina, quia delectari malo alterius pertinet ad odium, quod charitati repugnat, qua omnibus hominibus obſtringimur. Nec aliquis excuſatur, ſi perniciem molitur illius, qui ſibi iniuſtè intulit malum, ſicut non excuſatur aliquis per hoc, quod odit odientem ſe; non enim debet homo in alium peccare, propter hoc, quod ille peccauit priùs in ipſum; hoc enim eſſet vinci à malo, & non vincere bono malum; ſed legi diuinæ non repugnat, quod læſus accipiat à lædente ſatisfactionem ſibi debitam, & ſtatutam arbitrio prudentis viri.

Nam quamuis huiuſmodi ſatisfactio non decernatur à iudice pro tribunali ſe-

dente, & non ſit ius illud, quod dicitur in foro, eſt tamen actus iuſtitiæ quæ propriè, & preſſè loquendo ſecundùm quod pertinet ad immunitatem alicuius, perſonæ ſingularis, à qua iniuria propulſatur, dicitur virtus vindicationis, ſiue ſit in iudice, ſiue in pacis arbitro, qui eligitur Principis autoritate. Atque etiam ij, qui paci conciliandæ præficiuntur, ſunt iudices, & arbitri ciuilium contentionum. Vbi notandum, quod ad principem ſpectat, cum vltio, tum compenſatio iniuriarum. vlciſcitur iniurias officio iudicis, vt aiunt; mercenario, eaſdemque compenſat officio iudicis nobili ſcilicet miniſterio eorum, qui paci præficiuntur. Officium iudicis mercenarium (metaphora tracta, vt probabile eſt, à famulis, qui eorum ſunt addicti præcepto, quibus inſeruiunt) illud appellatur; quod legum formulis, & actionibus inſeruit, id eſt, quod nihil aliud poteſt, quàm id quód legibus præſcribitur ſtatuendum in actione præpoſita, cuius propriam naturam ſequi tenetur iudex, qui habere dicitur ſolam iuriſdictionem: qua de cauſa nihil relinquitur eius arbitrio. Officium nobile eſt illud, quod ad imperium magis accedit, quia nobile eſt munus imperare, & poſſe extra formulas actionum, id eſt extraordinario iudicio, vel ſine actione à

iure propoſita: quando æquum videbitur propter poteſtatem maiorem conceſſam ſtatuere extra ordinem.

Quare illi qui affecti iniuriis ſupplices confugiunt ad iudiciorum aſilum, & officium Principis implorant; videntur in vltione iniuriarum implorare officium iudicis mercenarium. At ij, qui depellunt iniurias debita ſatisfactione accepta miniſterio eorum, qui iuſſu Principum paci præficiuntur, mihi videntur in vltionę iniuriarum, vti officio iudicis nobili.

Prima opinio vlciſcitur iniurias animo nocendi, quod lex diuina prohibet, ſed tertia opinio vlciſcitur ſtudio remouendi impedimenta, quod lex diuina permittit. Nam cum recta, & laudabilis vindicatio ſit inter duo vitia, vnum quidem per exceſſum, ſcilicet peccatum crudelitatis, & ſæuitiæ, quæ excedit menſuram in puniendo: aliud per defectũ, ſicut cũ aliquis eſt nimis remiſſus in puniendo: hæc tertia opinio ſecundum omnes circumſtantias debitam menſuram in vindicando conſeruat; & ignoſcit pœnitentibus. at prima vt plurimum excedit, quia mouetur voluntate nocendi, & quandoque etiam deficit, cum timor periculi imminentis inſurgit; ſicut enim difficile eſt, quod homo priuatus inueniat illud moderamen inculpatæ tutelæ, in re-

pellendis iniuriis, cum inferuntur, ita difficillimum eſt, quod ipſe inueniat debitam menſuram in vindicandis iniuriis illatis; Et quidem venia debetur illam poſcentibus, quam qui negat, euertit humanam naturam, continuatis namque cædibus beatitudo humana tolleretur. Honor etiam, maximum bonum, quo natura humana conſeruatur: felicitatem humanam ſubuerteret, ſi non poſſent homines, ſatisfactione verborum accepta, inire pacem, cum inimicis, nam proſequerentur inimicitias in perpetuum, & ita euerteretur humana felicitas, idque honoris cauſa accideret. Sed ſicut nulla eſt ægritudo, cui natura non tradiderit remedia, ita nulla eſt iniuria, cui tanquam ægritudini honor non tradiderit remedium; honor enim natura eſt inſitus, eamque imitatur. nec ideo ſequitur, quod praui paſſim homines verberabunt, & interficient, ſi putabunt fore vt poſtmodum poſſint verbis miſſis tantùm ex ore, & non ex animo inire pacem, & reconciliari nulla pœna iniuriarum perſoluta.

Nam homines pœnas dant, dum confitentur errores, & oſtendunt ſe mirum in modum pœnitere, rogantque vt ſibi ignoſcatur, imò verba illa maiorem infligunt pœnam, quàm ſiquis corpore mulctare-

tur. Nec ei, qui iniuria affectus eſt, quicquam accidere poteſt iucundius, quàm videre eum, qui læſit, cogi confiteri ſe malefeciſſe, & pœnitere, & veniam petere. Hoc enim eſt verè vincere, & ſuperare aduerſarium, & honeſtam de ipſo ſumere vindictam.

Quod ſi in ſingulari certamine, dum quis ſe fatetur victum, antequam vulneretur, nihil poteſt in eum facere, qui ab eo iniuria fuit affectus: verba enim in illo caſu ſunt idonea, & ſatisfaciunt, multò magis erunt idonea antequam certetur. Nam illa verba, quæ oſtendunt eum, qui iniuria affecerit, magis timere illum, qui fuit iniuria affectus, magis ſatisfaciunt iniuriæ. At ſi verba humilia proferantur, antequam veniatur ad ſingulare certamen, oſtendunt eum, qui iniuria affecit, magis timere illum, qui iniuria fuit affectus, quàm ſi dicantur in ſingulari certamine. probatur, quia illi, qui ſe timere oſtendunt, cum longè abſunt à periculo magis timent, quàm ij, qui timent periculo preſente. ſed qui dicunt ea verba, quæ indicant homines humiles, & abiectos, & denique victos, antequam ſingulare certamen ineant oſtendunt ſe timere eum, cum quo congreſſuri ſunt, cum longè abſint à periculo; ideoque hi magis timent illum, quàm timeant,

qui inito iam ſingulari certámine in ipſo diſcrimine verſantur. hanc veritatem declarauit Ariſtoteles 1. Rhetor. c. 5. ex cuius verbis colligitur eos magis timere, qui procul à periculo conſtituti timent, quàm qui prope. Nulla autem potior, & prior vindicta, quàm cum formido ſuperbos flectit, vt ait Claudianus de bello Getico. Quæ ſententia præcipuè vera eſt de maiore formidine, quæ eſt in iis, qui timent cum longè abſunt à periculo. Conſentaneum igitur rationi eſt, ſi illa verba, quæ dicuntur in ſingulari certamine, ſatisfaciunt iniuriis, qualeſcunque ſint, ſatisfactura etiam modo prolata antequam veniatur ad certamen. Quod ſi milites, qui proprio gladio vlciſcuntur iniurias, acquieſcunt, cum aduerſarius ſe fatetur victum, quantò magis verbis illius, qui offẽdit, acquieſcere debẽt viri ciuiles, qui electione metiũtur iniurias? Non ergo ſequitur, ſi homines talibus verbis ſatisfaciunt iniuriis, quas fecerint, futurum vt reuertantur ad iniurias, & iterum verberent, & interficiant; propterea quia nullas dederint pœnas, quoniam illa verba maiores ſunt pœnæ, quàm verbera, & poſſunt dici plagæ ſine ſanguine.

Quæ enim homini forti grauior pœna eſſe poteſt, quàm cogi fateri ſe improbè feciſſe, & pœnitentiæ ſignificationem da-

re, & deprecari culpam?

Ex his in aperto eſt, in pace quamcunque iniuriam poſſe dimitti precantibus veniam. Nonnullis tamen durum videtur, quod ſpectet ad probi viri dignitatem, ignoſcere aduerſario, cum in ſingulari certamine tendit palmas, & veniam precatur; Vnde corruet planè noſtrum fundamentum. ratio illorum hæc erit; requiritur ſecundùm æquitatem, & iuſtitiam, vt retribuatur illi, qui iniuriam accepit, & æqua ſatisfactio iniuriæ reddatur ab aduerſario; quare ſi illi ignoſcitur veniam petenti, & non ſumitur vltio, videtur quòd læſus ſit inferior in hac pace conſtituenda, cum non detur illi ſatisfactio iniuriarum; ſed huius rei rationem reddit Ariſtoteles 1. Ethic.; vbi dicit quod, qui veniam precatur, videtur facti pœnituiſſe, & timere aduerſarium: ſi namque ipſum non pœniteret, neque aduerſarium timeret, certè non precaretur veniam ab illo. Quare cum pœnitentia, & timor ſint ſemper cum dolore, ille dolor eſt quædam pœna, qua mediante læſus ſumit aliquo modo vindictam de aduerſario. Addit ibidem Ariſtoteles, quod ille, qui ignoſcit veniam deprecanti, & fatenti, licet ſit inferior ob vulnera, vel verbera, vel ob alias iniurias, quas accepit, ſibi tamen ſumit, & tribuit maiorem honorem, &

exiſtimationem, qua ſuperat aduerſarium. Quapropter illi, qui vel lapſum inimicum, vel ſupplicem, & veniam petentem interficiunt, vel percutiunt, ſunt inferiores ignominia, & infamia, quā ipſi ſibiipſis inurunt: quia natura inſitum eſt, etiam canibus iratis, vt 2. Rhet. inquit Ariſtoteles, humiliantibus ſe, & humi proſtratis parcere. Ex his etiam patet, quod maior ſatisfactio eſt læſo, ſi is, qui iniuriam intulit, pacem petit, & vitat pugnare ſingulari certamine, quàm ſi pugnet, & victus ſe tradat aduerſario; qui namque dimicat ſingulari certamine, videtur parui facere aduerſarium, ideoque vult cum illo manus conſerere: qui verò vult pacem facere, & ſatisfactionem tribuere potiùs, quàm dimicare cum aduerſario, videtur ſe humiliare, & tacitè fateri, ſe eſſe inferiorem, ac dubitare, quod ſi in ſingulari certamine manus cum illo æquo Marte confereret, ipſe eſſet inferioris conditionis. Grauiter itaque errant, qui cum iniuriam acceperunt, volunt potiùs armati in arena eadem conditione pacem ſancire cum aduerſario, quam priùs: maiorem namque humilitatem, & timorem illius oſtendit aduerſarius, ſi eaſdem conditiones pacis illi tribuit longè à periculo dimicationis, quàm prope dimicationem, & in ipſo periculo di-

micandi. Vbi autem maior ineſt timor, ibi plus eſt exiſtimationis, & minus vilipendij. Conſtat etiam, quod qui cum multitudine, & inſidioſè alicui facit iniuriam, minus illum vituperat, quàm ſi cum paucis, vel ſolus aperto Marte illum laceſſit, quia ille, qui cum multis, & dolo aggreditur aduerſarium, oſtendit ſe timere, ne ab eo lædatur, ſi cum paucis, vel ſolus aggrederetur. Vbi verò eſt timor, ibi non eſt vilipendium, ſed exiſtimatio; qui enim cum multis iniuriam infert, videtur quodammodo fateri, ſe non eſſe illi parem ſed inferiorem, ſi ſolus aggrederetur. hoc verò eſt magnifacere non ſpernere. qui autem ſolus & aperto Marte aggreditur animo laceſſendi, oſtendit ſe arbitrari ſe ſuperiorem viribus eo, cum ſolus poſſit illi inferre iniuriam, ideo & illum parui facere videtur; ineſt etiam aliquod vilipendium, niſi enim vilipenderet, aliquo modo timeret, ne prouocaretur ad ſingulare certamen, & ſumeret de eo alter pœnam iniuriarum. Poteſt igitur eſſe vindicta ſine pœna, & læſione, eaque perfectiſſima, & generoſiſſima, nam fit ex iudicio rationis ſine ira.

Et qui iniuria affectus fuit, quando conſecutus fuerit vindictam eo modo, quo diximus, etiamſi ille qui læſit, nullam corporis pœnam pertulerit, ſatisfecit, honori

ri ſuo. Qui enim vlciſcuntur, non percutiunt eos, à quibus fuerunt iniuria affecti, niſi vt ab ipſis pœnitentiæ confeſſionem exprimant, atque ij ſe inſolentiæ condemnent, quod eos neglexerint, neque ampliùs reuertantur ad iniurias inferendas. Id verò ſi conſequi poſſumus ſine vlla pœna corporis, fruſtra adhibetur hæc pœna. Quare ſolùm ruſtici, qui non ſunt de honore ſolliciti, petunt vt lædens verberetur, ſicut ipſis contigit, at verè nobilibus, & ingenuis ſufficit vindicta, quæ poteſt eſſe ſine pœna corporis, licet eſſe non poſſit ſine pœna animi. Hæc verò animi pœna vtrum ſit ex corde, an ex ore tantùm proficiſcatur, nihil refert; ſatis enim eſt vt, qui læſit, ore fateatur ſe iniquè, & improbè feciſſe, ſeque pœnitentem demonſtret.

Non enim homines ſunt perſcrutatores cordium, nec interiores animi cogitationes cognoſcunt, niſi ex verbis, quæ ſunt ſigna eorum affectuum, qui ſunt in anima. In vindicta etiam par pari redditur, etiamſi percuſſus non percutiatur. Nam intelligitur par pari reddi, non ſolùm ſi quis percuſſus repercutiat, ſed ſiue repercutiendo, ſiue per aliquid aliud, quod non minùs offendat, quàm illa percuſſio, quam paſſus eſt, par pari reddat, vt videmus accidere in permutationibus. Quod ſi liceret

etiam perſonæ priuatæ proprio gladio vlciſci iniurias, neque id virtuti vindicationis repugnaret, vt certè repugnat, tanquam actiò damnata, & proueniens ex odio, adhuc tamen laudabiliùs, & meliùs debita ſatisfactione accepta tollerentur iniuriæ, quàm ſi proprio gladio vindicarentur, ſicut ſemper præclarior eſt victoria conſilio parta, quàm ferro. Et hic modus propulſandi iniurias eſt illa antiqua Minerua, quæ armata è Iouis cerebro prodiit, quoniam iniuriæ conſilio ſunt amouendæ.

Hoc probatur duplici ratione. Primò iniurias propellimus, aut ita per nos ipſos lædendo, vt amplius lædi non poſſimus, aut aliqua ratione oſtendendo nos impune lædi non poſſe. quare ſiue lædimus, ſiue oſtendimus nos lædere potuiſſe, idem videtur. At longè meliùs, & laudabiliùs eſt oſtendere nos lædere potuiſſe, ſi voluiſſemus, quia hoc eſt humanitati propinquius, & ad conciliandos animos aptius. Nam mutuis læſionibus nihil aliud fit, quàm vt vterque metu quieſcat; at indulgendo fit vt, licet lædere iterum poſſit, nolit.

Dicet aliquis ſi perſona priuata, quæ accepit iniuriam, non lædit lædentem, non cenſetur indulgere, ſed timere; itaque non poteſt excogitari ratio, qua læſus (dummodo non ſit Princeps vel longè ſuperior)

oſtendat ſe lædere potuiſſe, ſi voluiſſet. Reſp. 1. quod quando lædens in læſi poteſtatem ſe liberè dedit, læſus abſque dubio, dum lædenti parcit, apertè oſtendit ſe lædere potuiſſe, ſi voluiſſet, nam lædens erat in illius poteſtate poſitus; ſed quia nos non probamus illam ignominioſam conſuetudinem tradendi ſe arbitrio eius, qui læſus; quod vulgò dicitur: *rimetterſi alla diſcretione dell' offeſo.* Reſp. 2. læſum quamuis fuerit priuatus, & lædenti æqualis poteſt tamen ſufficienter oſtendere, ſe potuiſſe lædentem lædere, ſi voluiſſet.

Cum enim ira ex læſione naſcatur, neque poſſimus eodem tempore timere, & iraſci, ſequitur quod læſus iratus non timeat. At in lædente poſt illatam alteri iniuriam, iræ feruor refrigeſcit, in cuius locum ſuccedit timor vindictæ, quam ſibi imminere cognoſcit; ſcit enim læſum ira accenſum nil aliud appetere, quàm vltionem, quam apprehendit tanquam poſſibilem, & quaſi præſentem cernit. Quamuis ergo læſus, & lædens ſint, vt ſupponimus, dignitate, & conditione pares, eſt tamen læſus lædente ſuperior,

Nam furor vires miniſtrat, vbi ex aduerſo timor arma obiicit, & ſtationem deſerit; quare læſus, etiamſi non lædat, facilè tamen exiſtimabitur ſe lædere potuiſſe, ſi voluiſſet; Et quidem indulgere pœnitentibus, non eſt

imbecillitas virium, ſed animi magnitudo, & humanitatis indicium, cuius veſtigium etiam in feris ſilueſtribus conſpicimus: nam & leo docuit parcere ſubiectis. Puſilli hominis eſt remordere mordentem.

Mures, & formicæ, ſi digitum moueas, ora conuertunt. Imbecillia ſe lædi putant, ſi tanguntur. Vulgus, qui non diſtinguit iram à magnitudine animi, nec audaciam, & inſolentiam à fortitudine animoſa, miratur, & honorat audaces: placidos verò pro inertibus habet. Sed ſimul, ac æqualitas vitæ fidem facit, non ſegnitiem illam animi eſſe, ſed pacem, idem populus eoſdem colit, & veneratur. Qui parcit pœnitenti; & veniam precanti timidus dici non poteſt. Obiurgatio enim, & terror lædentis timidos vincit. ſed eiuſdē confeſſio, & pœnitentia placat generoſos; & iure optimo confeſſione, & pœnitentia placantur: Nam rogare non eſt contēnentis, & lædens, qui ſe humilē præbet, nō ſolùm diluit contemptum, ſed etiam contēptus ſuſpicionem. Quare ſi non vlciſcitur, eſt quia indulget, & parcit lædenti. eſtque dicendum potiùs illum lædere potuiſſe, ſi voluiſſet, non contra, illum voluiſſe, ſi potuiſſet. ſecundò meliùs verbis quàm factis tolluntur iniuriæ. probatur 1. quia dum quis lædit, ex paſſione lædit; dum verò verbis ſatisfacit ex electione ſatisfacit, ergo maior

eſt ſatisfactio, quàm læſio: ſiquidem quæ ex electione fiunt, præſtant iis, quæ fiunt ex paſſione. 2. quia contraria contrariis curantur; ideoque electionem lædentis, eiuſdem interior pœnitentia caſtigabit. Et hæc pœnitentia, quam pacis compoſitores ſuadendo imperant, & imperando ſuadent, monſtrata turpitudine iniuriæ, innoteſcet per verba, quibus indicantur paſſiones animi. facto autem læſi nunquam peruerſa lædentis electio poteſt auferri; imò magis firmabitur odium illius. Et quidem læſi principalis finis eſt non vindicta, ſed diluere maculam, quam à lædente accepit. ſi ergo macula eſt ſignum, quod lædens dedit de læſi improbitate, proprium remedium erit ſignum, quod lædens dabit de eiuſdem læſi probitate. ſiquidem contraria contrariis curantur; quod neque præſtare valet pœna talionis, neque vindicta: quia neutra eſt honor, qui læſo à lædente tradatur.

Quàm verò præcellat ceteris modus propellendi iniurias, conſilio eorum, qui iuſſu Principum paci præficiuntur, ex hoc etiam dignoſci poteſt: quod ſint quædam iniuriæ, quibus leges nullam pœnam ſtatuerunt. In hoc caſu aut perſona priuata per ſe ipſam depellet iniuriam, aut id faciet conſilio, & miniſterio prudentum. Nam cum ceſſat prouiſio legis, prouiſio hominis adhiberi ſolet;

ſed non eſt tutum vlciſci iniuriam proprio gladio, cum difficile ſit reperire vindiſtam, quæ non puniatur à legibus: vnde ſequeretur eum, qui proprio gladio vlciſcitur iniuriam, incidere eodem tempore in Charybdim, & Scyllam, ſcilicet in pœnam ſtatutam à legibus, & in odium inimici, quem repercuſſit; quare vni duo erunt contratria. Melior itaque modus propellendi iniurias conſilio eorum, qui paci præficiuntur, vt dictat tertia ſententia.

Eſt etiam hic modus propellendi iniurias melior eo, quem ſequuntur ij, qui vltionis libidine arma capiũt, ira tãtùm impellente, abſque rationis regimine. Nam, vt docet Ariſtot. 3. Ethic. non eſt vera ſpecies fortitudinis illa, quæ vlciſcitur propter iram. Qui enim agit propter hanc, pugnax, ſed non fortis dicendus eſt ex mente Philoſophi. Nos autem quærimus modum laudabilis vltionis, quæ à vera fortitudine proficiſcatur; Nec propterea omnino excludimus iracundiam ab actionibus fortitudinis, & vindictæ (quæ tantùm in Deo fit ex iudicio rationis ſine ira) ira enim eſt maximus aculeus ad fortiter agendum, & vlciſcendum, & fortibus atque vlciſcentibus ſubſidio eſt.

Vnde ſi agens per furorem præ accipiat

electionem, & debitum finem cuius gratia agat, erit verus fortis, & motus iræ excitatus ex iudicio rationis facit hominem promptiorem ad rectè vindicandum. Sed fortis præcipuè honeſtatis cauſa gerit omnia. Belluæ dolore, & ira inuitante. non igitur fortitudo eſt, dolore, & ira incitatum adire vindictam. nam iſto modo licebit dicere fortes eſſe belluas, cum impetus faciunt in eos, à quibus vulnus acceperunt: eodem etiam modo erunt fortes adulteri, qui cupiditatis cauſa multa faciunt audaciùs. non ergo virtutis eſt, dolore vel ira impelli ad vlciſcendum inimicos, à quibus læſus aliquis. tunc enim non honeſtate, vel ratione ſed perturbatione ducitur ad pœnam. ſed cum aliquis vlciſcitur iniurias, accipiendo ſatisfactiones quaſdam ab aduerſario, arbitrio boni viri, tunc & ratione ducitur, & ira etiam ipſi ſubſidio eſt.

Nam carent ira ij, qui cum ſeruili, & degenere animo ſint, iniurias tolerant, eaſque relinquunt omnino inultas. quod non eſt in caſu noſtro. nam ſatisfactiones accipere eſt vlciſci impulſu quidem iræ, ſed excitatæ ex iudicio rationis. quare tertia ſententia veriſſima eſt, quæ inuenit ſatisfactionem verborum, quibus interior lædentis pœnitentia exprimitur.

Eſt autem hæc ſententia longè melior ſe-

cunda, quæ vult læſum debere in ius vocare lædentem: nam licèt accuratè loquendo hoc ſit à lege permiſſum, abhorret tamen à communi vſu, & honoris diſciplina: neque excitat veram in lædente pœnitentiam, quam læſus intendit; imo illum irâ, & odio magis inflammat. Obiicietis: exiſtere quaſdam iniurias quæ factis tantummodo ipſius læſi purgari poſſunt, cuiuſmodi eſt adulterium, quod non videtur poſſe dilui niſi morte mulieris, & viri. Hæc falſa opinio à Gothis, & Longobardis contra omnem humanitatem, & iuſtitiam manauit; fatemur adulterium eſſe contumeliam, cum qua ſemper coniunctum eſt vilipendium; nam ſi adulter timeret cognatos, & affines mulieris, nunquam illud committeret; ſed tamen non eſt talis iniuria, quæ verbis dilui non poſſit. Nam adulterium vel præcipuè fit voluptatis gratia, & Italicè vocatur. *Vergogna;* vel præcipuè fit vt cognati, & gentilitij mulieris derideantur, quod Italicè dicitur *ſcorno.* ſi præcipuè proponitur voluptas, hæc eſt minor iniuria, quàm illa, in qua præcipuè proponitur vituperium læſi, vt ſunt verbera, & conuitia. Si ergo in verborum, & conuitiorum vindicta nullo modo debemus interficere agentem, ſed verbera, & conuitia verbis lædentis dilui poſſunt, ergo

multò magis adulterium propriæ voluptatis cauſa commiſſum. ſi verò in adulterio præcipuè proponitur vituperium familiæ, quod rarò accidit vel nunquam, tunc ſicut aliæ iniuriæ, in quibus prior intentio eſt, vituperium patientis, verbis diluuntur, ita etiam diluetur adulterium.

Obiicietis ſecundò: vindicatio eſt actus iuſtitiæ legalis, ergo læſus confugere debet ad iudicem, vt dicit ſecunda ſententia. Reſp. quod ſatisfactio, quam lædens læſo tradit, conſilio, & autoritate eorum, qui iuſſu Principum paci præficiuntur, eſt etiam actus iuſtitiæ legalis; Et pacis arbitri ſunt tanquam iudices ciuilium contentionum, ad quos ſpectat vtramque partem æquare, ſed iudices non ſeueri, qui in tribunali reſidentes pœnas conſtituunt in lædentes etiam inuitos; ſed humaniſſimi iudices, qui lædentes rogant, & hortantur, vt aliqua ratione læſis ſatisfaciant, & diluant maculam iniuſtitiæ, quam lædendo contraxêre. Sunt iudices, qui læſis etiam non implorantibus illorum auxilium neque de acceptis iniuriis expoſtulantibus, & ſponte ſua oblatam reſtituunt dignitatem. Qui verò non Principum iuſſu, ſed ex charitate pacem componunt, ſunt non iudices ſed oratores, qui ſuadent manſuetudinem & veterem beneuolentiam: ſed ij ple-

rumque non aſſequuntur finem, quia ſunt publica autoritate deſtituti. Reſp. 2. quod ſtrictè, & propriè loquendo vindicatio non eſt actus iuſtitiæ legalis. Nam ſicut recompenſatio debiti legalis pertinet ad iuſtitiam commutatiuam: recompenſatio autem debiti moralis, quod naſcitur ex particulari beneficio exhibito, pertinet ad virtutem gratiæ, ita etiam punitio peccatorum: quà pertinet ad publicam iuſtitiam, eſt actus iuſtitiæ commutatiuæ, quà verò ſpectat ad immunitatem alicuius perſonæ ſingularis, à qua iniuria propulſatur, ad virtutem vindicationis refertur. hæc autem virtus vindicationis non minùs eſt in præfecto ipſius pacis, quàm in iudice. Vterque enim dicitur vindicare; ſed melius etiam vindicat pacis præfectus propter rationes allatas in examine ſecundæ ſententiæ.

Ex quibus infertur, quod læſio non eſt obiectum adæquatum iræ. non enim ira quieſceret venia petita, aut alia debita ſatisfactione exhibita, ſi læſio eſſet obiectum adæquatum: obiectum verò adæquatum eſt actus propellendi, iniurias: quod fit, non ſolùm lædendo eum, à quo læſi iam fuimus, ſed etiam oſtendẽdo nos illum lædere potuiſſe, ſi voluiſſemus, & ſic nos impune lædi non poſſe: quod poſtquam

oſtendimus, qui læſit veniam petit, & nobis ſatisfacit, reddendo id, quod abſtulit pari quantitate. Obiiciet aliquis. ira eſt appetitus vindictæ, ſed vindicta, & læſio vlciſcentis ſunt idem, ergo ſicut vindicta eſt obiectum adæquatum iræ, ita & læſio vlciſcentis. Reſp. non eſſe idem vindictam, & læſionem vlciſcentis, ſed vindictam eſſe tanquam genus; hæc enim non ſolùm dicit læſionem vlciſcentis, ſed etiam quodcunque genus ſatisfactionis, quod nobis conſilio, & iuſſu eorum, qui paci præficiuntur, ab aduerſario tribuitur, factis aut verbis, vt dignitas noſtra in integrum reſtituatur, & iniuriæ propulſentur. hinc vt Tullius verè dicebat, Vindicatio eſt, per quam iniuria defendendo aut vlciſcendo propulſatur; & dixit, vlciſcendo, non lædendo; nam quandoque vlciſcimur etiamſi non lædimus. Quod cum Iulius Scaliger non animaduertiſſet, auſus eſt exercit. 313. corrigere Ariſtotelem, & dicere: Iram eſſe appetitum depulſionis non vltionis, exiſtimans vltionis, & vindictæ nomine non aliud, quàm læſionem vlciſcentis poſſe intelligi.

Sed verè vltio eſt nomen generis, quo non ſolum læſio vlciſcentis, ſed etiam depulſio continetur. Id optimè cognouit D. Thomas, qui concilians regulas honoris

militaris cum vera ſapientia, cui omnes doctrinæ, ſi veræ ſunt, conſonare debent; non negauit dictum Ariſtotelis, quod ſcilicet ſeruile ſit perferre iniurias, ſed vt illud veræ ſapientiæ conſonaret, explicauit & dixit: Ad ſeruilem animam pertinere ſibi iniuriantes ſuſtinere, nec repellere iniurias debito modo, de quo debito modo loquitur tertia ſententia. ſeruile ergo eſt perferre iniurias, neque eas debito modo repellere, & vindicare. Et ira, quæ eſt appetitus vindictæ, debito modo depellit iniurias, ſi ſe vindicat modo explicato. Huius porro diſciplinæ, quæ debito modo iniurias diluit, læſam dignitatem inſtaurat, & pacem conciliat, principia ſunt iſta.

Is, qui iniuriam intulit, aut verbis, aut ſcriptis, aut alia re, quæ ſub ſenſum cadit, læſo det ſigna, quibus iuxta ſapientis, & prudentis iudicium, offenſa dignitas prorſus reſurgat. 2. Honoris ratio conſtituitur in communi hominum opinione, quæ non eſt ſubiecta ciuilium legum præceptis, ſed pro temporum, ac ætatum varietate ſeipſam conformat, & effingit ad eorum conſuetudinem, qui militari honore præditi exiſtimantur; & propterea ad normam iſtorum, dummodò nec iuſtitiæ, nec honeſtati repugnet, compenſationes honoris præcipuè ſunt dirigendæ. 3. Illatæ iniuriæ

quantumuis magnæ, ea ſatisfactio inueniri-poteſt, qua læſus priſtinum honorem integrè recuperabit. 4. Lædens ſatisfactione læſo tradenda in honoris ratione meliorem conditionem retinebit, quàm habebat antequam ſatisfaceret. 5. Et hæc lædentis conditio poſt ſatisfactionem ipſi læſo redditam aliquando eſſe poteſt cum integro lædentis honore, cum ſcilicet in re leui, aut humano quodam errore læſerit. Aliquando verò lædens ad integrum honoris ſtatum exactè accedere non poterit, cum ſcilicet turpiter læſit. ſi tamen læſo ſatisfaciat, meliùs agit ſemper, & propriùs ad honorem accedit, quàm ſi non ſatisfaciat: quia pœnitentia ſemper eſt melior, quàm pertinacia: & iuſtitia quàm iniuſtitia. Præter hæc principia, ea omnia, quæ ad iuſtitiam pertinent, maximè conferunt ad hanc diſciplinam, quæ rixas ciuiles, & militares contentiones ſedat, & pacem conciliat. Nam arbiter pacis, eſt tanquam iudex ciuilium contentionum, ad quem ſpectat æquare vtrãque partem, & reddere deficienti illam, quæ apud ſuperiorem excedit.

Sed dicetis: ſi ſatisfactio neceſſaria ad pacem firmandam inter lædentem, & læſum non eſt aliud, quàm reſtitutio eius, quod iniuſtè ablatum eſt, quæ reſtitutio eſt actus publicæ iuſtitiæ, ſequeretur, quod

quandoque pax conciliari non poſſet, quia quandoque impoſſibilis eſt reſtitutio. Vt cum aliquis aufert alicui membrum, vel vitam, vel cum quis aufert famam, verum dicendo, contra quod mentiri non licet, vel cum aliquis impedit, alium à conſequenda dignitate, quam reſtituere non poteſt. Sed non ſolùm in caſibus ſupra dictis, ſed etiam in quacunque iniuria videtur eſſe impoſſibilis reſtitutio, quia quod factum eſt, non poteſt fieri infectum. Reſp. reſtitutionem, quæ eſt actus iuſtitiæ commutatiuæ, in nullo caſu impoſſibilem eſſe. Nam quando non poteſt compenſari æquiualens, ſufficit id, quod poſſibile eſt: ſicut patet de honoribus, qui ad Deum, & parentes ſpectant, vt docet Ariſtotelis 8. Ethic.

Vnde, quando id, quod eſt ablatum, non eſt reſtituibile per aliquod æquale, debet fieri compenſatio, quæ poſſibilis eſt; ſic vita, vel membri mutilatio debet compenſari, vel pecunia, vel honore quodam, conſiderata conditione vtriuſque perſonæ ſecundùm arbitrium prudentis viri.

Cum verò aliquis aufert famam, verum dicendo, tunc illam reſtituit, ſine mendacio, ſi dicat malum dixiſſe, & iniuſtè eum infamaſſe.

Sin alium impedit à conſequenda dignitate, vel præbenda, ſi non poteſt reſtituere æqualem, reſtituet ſaltem aliquod proportionale ſecundum ſuam facultatem. Denique ſi fieri non poſſit, vt actio illius, qui intulit iniuriam, non fuerit, quandoquidem hoc vno etiam priuatur Deus, quod factum infectum reddere non valet, fieri tamen poteſt, vt eius effectus, ſcilicet diminutio dignitatis læſæ, in opinione hominum reparetur per exhibitionem reuerentiæ.

Præter hæc communia principia, quibus innititur vniuerſa doctrina de pace formanda, ſunt & aliæ regulæ magis propriæ, quæ maximo nobis vſui ſunt ad rixas ciuiles, & militares contentiones ſedandas. Compenſatio debet eſſe in quanto, non in quali: nam ſi eſſet in quali, cum quis verbi gratia vulnus intulit, non poſſet confici æqua pax, niſi vulnus quoque acciperet, quod eſt inconueniens. non enim lex talionis eſt neceſſaria, quæ auferebat oculum pro oculo, & per conſequens neque remiſſio libera ad arbitrium læſi, quæ vulgò dicitur, *à diſcretione dell' offeſo.* Ariſtotelis hæc mens eſt, qui expreſsè dicit, id quod redditur, debere eſſe idem in quanto, non in quali: ſi nempe aliquis occupauerit contra ius veſtem alicuius, propter-

eaque ſpoliatus inæqualis fuerit ad hoc, vt recuperet æqualitatem amiſſam, non eſt opus, vt illi veſtis reddatur, ſed æquiualens. Eodem modo, ſi quis percuſſerit, nõ eſt opus, vt in pace ſtabilienda percuſſionẽ referat, ſed vt ea proferat voce, vel ſcripto, quę percuſſioni æquivalent; vel alio modo dignitati patiẽtis ſatisfaciunt, ita vt ſint pares. Non eſt ergo vera opinio Rhadamanthi, qui vindictam neceſſario in mutua paſſione poſuit. Dicetis; ſiquis ab inimico alapam, vel vulnus paſſus ſit, ſi idem vulnus, vel alapam, quam accepit, reddiderit, erit iuſta, & condigna vindicta, & is erit aduerſario in honore æqualis, & quod redditur, idem tamen eſt in quali. Reſp. eſt etiam idem in quanto, & quatenus eſt idem in quanto: vindicta dicitur eſſe iuſta, & condigna: quod ſi eſt etiam idem in quali hoc eſt per accidens; accidit enim, quod idem in quanto ſit etiam quandoque idem in quali: vt cum lædens, & læſus ſunt perſonæ æquales, vt in caſu iſto. ſed ſi reddatur idem in quali, quod non ſit etiam idem in quanto, nullo modo vindicta eſſe poterit iuſta, & condigna: vt ſi Princeps percuſſus à ſubdito illum repercutiat, non erit condigna vindicta. Nam id, quod redditur, eſt idem in quali, ſed non in quanto. Vbi enim lædens, & læſus ſunt perſonæ inæquales. hæc ſeparantur ab inuicem: non enim idem

idem in quali eſt idem in quanto, nec idem in quanto eſt idem in quali. Quare ſiquis ſubditus Principem percuſſerit, non ſufficit vt repercutiatur, hoc enim pacto retribueretur idem tantùm in quali, quod non ſufficit. multò enim plus dignitatis aufert à Principe priuatus, quando illum percutit, quàm Princeps ab eo demat, ſi repercutit illum eodem percuſſionis genere, priuatus enim parum dignitatis poſſidet ad Principis comparationem.

Ideo in eo ſola perſona læditur, at in Principe ſimul cum perſona dignitas læditur, quæ eſt in Principis perſona. huic doctrinæ congruit illa propoſitio: quod cum iniuria eſt inter inæquales, non ſufficit Arithmetica proportio, ſed requiritur geòmetrica; quæ propoſitio vera eſt, quando nocumentum eſt circa perſonam, vt bene notat D. Thomas. Nam quando nocumentum eſt circa ſubtractionem rei, tunc etiam inter inęquales, qui in nocumẽto rei, tanquã æquales cenſentur, ſeruatur proportio Arithmetica. nihil enim differt, vtrum prauus ſtudioſo auferat, an ſtudioſus prauo; ſed ſolummodo ad nocumentum rei reſpicitur, vt vterque ſit æqualis. Hoc dicimus de iniuriis, quæ factis inferuntur: nam de opprobriis, & contumeliis, quæ verbis fiunt, alia eſt conditio: nam in

iniuriis verbalibus, licet negando ſatisfacere, & calumnias repellere: hoc verò in factis non accidit: quia facta iiſdem factis ſatisfaciunt, cum cetera ſint paria. puta vt vitæ ſtatus, dignitas, conditio, & reliqua, quæ dignitatem augent.

Sed cum is, qui afficitur iniuria, inferior fuerit, aut vice verſa: alia eſt ratio; quoniam vt diximus inter perſonas inæquales idem factum in quali, non eſt idem in quanto. Opinio autem eorum, qui volunt quod inter æquales ſit condigna, & iuſta vindicta, ſi læſus idem in quanto reddiderit, quod acceperit, non eſt communiter recepta, & approbata. Primò enim initium iræ eſt proprii iuris amiſſio, finis autem eſt non ſolùm amiſſi iuris recuperatio, ſed etiam in lædentis ius inuaſio, vt eum tandem læſiſſe pœniteat; deinde ſicut remuneratio præter paritatem commodorum, benefici quoque dignitatem, & merita reſpicit; ita etiam in vltione, lædentis iniuriam pari læſione penſare læſi animo non ſatisfacit, ſed ſuperare illam conatur. Quare ſicut gratus magno augmento rependere beneficium ſtudet, vt quaſi fœnus perſoluat, & beneficus, qui illud contulit, bene ſe collocare lætetur, ita vltor magno cumulo iniuriam ſibi illatam reddere conatur, vt lædentem læſiſſe pœniteat. Si-

cut igitur homini grato, æquato beneficio accepto, prior in beneficum conferre commoda videtur; ita etiam vltor quaſi iam æquata iniuria eum, à quo fuerat laceſſitus, prior prouocare læſione exiſtimatur. Nec mirum ſi inter gratitudinē, & vltionē tanta interſit ſimilitudo, quoniam eiuſdem facultatis iraſcibilis eſt, iniuriam vlciſci & beneficii gratiã referre; grati enim opponi iracundis videntur. Nimirum ſicut iraſcimur iis, qui nos lædunt. ita & iis, qui proſunt, grati, ac beneuoli ſumus. quæ extrema ad eandem pertinent facultatem; propterea valde etiam grati eſſe ſolent. Vnde in ceteris quoque animalibus, iis præſertim, quæ quadam rationis imagine ad hominem propiùs videntur accedere; vt in cane, leone, & elephante; non leuiora gratitudinis, quàm vltionis exempla conſpiciuntur. Vltio itaque ſimilis eſt remunerationi, quæ gratitudinis actus eſt, non retributioni, quæ iuſtitiæ eſt: nam retributio datorum, & acceptorum bonorum paritatem tantùm reſpicit, neque eam excedit, & rei ſolúmmodo, quæ debetur, rationem habet: remuneratio verò præter paritatem commodorum benefici etiam reſpicit perſonam, & dignitatem. Hanc ſententiam, quod iniuriæ ſicut beneficia reddi debeant maiori menſura, defendit

inter ceteros Gual. Cæſenæ Epiſcopus de ciuili facultate. lib. 12. cap. 12. eſtque hoc ipſum communi vſu receptum apud eos, qui in vlciſcendis iniuriis, non rationem ſed furorem ſequuntur. Nos verò diuerſum cenſentes, negamus ſimilitudinem inter vltionem, & remunerationem; ſiquidem in bonis exceſſus eſt licitus, ſed non in malis. neque ſanè vltio excedere debet iniuriam acceptam. ne dum ignauiam, & timiditatem fugimus, in iniuſtitiam incurramus. Et quidem iuſtitia moderari debet vtrumque affectum, animæ noſtræ irrationalis, id eſt concupiſcibilis, & iraſcibile deſiderium. temperat concupiſcibile, ne aliena appetamus, vel auferamus. Iraſcibile verò moderatur ne iniuriam aliis inferamus, nèue nimium acerbè pœnam ab inimicis ob iram, vel odium expetamus. Animaduertendum autem, quod in iniuriis illatis tria ſunt: pœna, vindicta, & reconciliatio. Italicè diceremus: *caſtigo, vendetta, pace non giuſtificata*. Pœna eſt, vbi læſus non eſt contentus, vlla ſatisfactione, ſed vult inimicum lædere & punire ob odium erga illum. Vindicta eſt, cum alicui iniuria affecto priſtina dignitas reſtituitur ab aduerſario, & idem in quanto redditur vel verbis, vel alia ratione, quæ eius ſatisfaciat dignitati. Reconciliatio eſt, cum

læſus in gratiam redit cum aduerſario abſque vlla ſatisfactione, neque recuperat vllo pacto amiſſam dignitatem. Vindicta eſt effectus vindicationis, eſtque virtus peculiaris, cui opponuntur duo vitia: alterum in exceſſu, ſcilicet peccatum crudelitatis, & ſæuitiæ, quæ excedit menſuram in puniendo, & à qua prouenit pœna; alterum in defectu, vbi aliquis non punit, vel nimis remiſſus in puniendo; vnde prouenit reconciliatio. Sicut igitur exigere pœnam ab aduerſario eſt crudelis, reconciliatio verò eſt ſtupidi, & vilis: ita vindicta eſt fortis viri, qui, ſi iuſtus eſt, non debet excedere in reddenda iniuria. tunc enim non vlciſceretur, ſed exigeret pœnam, quæ non conceditur, viro forti, & ciuili. Sicut conceditur vindicta, & diſcederet à iuſtitia, quæ in eo conſiſtit, quod tantùm iniuriæ reddamus, quantum accepimus. Viri etiam verè probi eſt ſuum velle, non alienum.

Et quamuis læſus non inuadit in ius lædentis, tutus tamen omnino redditur à nouis iniuriis, quando vindicta, quæ æqualis ſit iniuriæ, amiſſam recuperat dignitatem, & in lædentis animum pœnitentiam inducit, nam ex læſi vindicta etiam æquali, lædens apertè cognoſcit ſe impune lædere minimè potuiſſe. Quin imò parce-

re ſubiectis, & pœnitentibus non ſolùm christiani eſt, ſed etiam Principum, ac militum, qui proprij honoris, & dignitatis conſeruationi ſtudent.

De Speciebus Iræ.

IRa duplex eſt: altera quidem diuturnior. permanentiorque: altera acrior, & concitatior, ſed citò placabilis. Primam Græci μῆνιν, noſtri rancorem appellant: eſtque illiberalis contumaciſque naturæ ſignum, & ſæpius hac perciti aliud in lingua promptum habent, aliud in pectore clauſum, atque altera, vt ait Comicus, manu ferunt lapidem, panem oſtentant altera; quam Homerus Agamemnoni, & Achilli paſſim tribuit. vt iure cum Platone mirer, cur illum ex Homero nonnulli heroëm putent. Altera græcis θυμὸς, noſtris excandeſcentia dicitur, & in iis plerumque eminere videntur, qui animo ſunt ingenuo, liberalique. Diuturna ergo ira non eſt heroë, neque liberali homine digna: & à ruſticorum moribus agreſtis appellatur. In ipſo autem vindicationis actu eſt homo æqualis aduerſario: in omittenda autem vindicta ſuperior: Principis enim munus eſt parcere. hinc Iuuenalis ſatyra. 3.

Semper, & infirmi eſt animi, exiguique voluptas, Vltio.

Nec minùs patientia Principes decet; quiſque alta petit ſermunculis atque iudiciis. Principis autem eſt voces ſpernere: nam nullum eſt argumentum certius magnitudinis, quàm nihil accidere poſſe, quo inſtigeris.

Suprema mundi pars ventis, fulminibus, pluuiis non turbatur: nec iſti rerum apices, nimirum Principes; tanquam ſcopi ſagittis expoſiti; alta liuor, & calumnia petunt, petunt, ſed non tangunt, vbi animus altus eſt. potentia ſupra offenſiones eſt; gloria, (ſi bene agis) ſupra infamiam. Siquis conuitiatus tibi fuerit, aut in occulto detraxerit, neque deferentem audire debes, neque delatum punire; Nam illa, ſi vera ſunt, præſtat non admittere; ſin falſa, diſſimulare. nam vltione iſta, quid niſi plures ſermones, & plurium prouocabis? ſaluberrimum eſt monitum.

Ne moue, quod motum magis exhalet.
Ne moue, quod mouendo non ſedes.

Quod ſi omnes punitum ibis, quis tandem finis erit? Lacones in publicis ſacris precari ſolebant, vt poſſent iniuriam pati: ne properè exirent ad vindicandum, & ita ſtatum ſuum turbarent. tum etiam,

quia parùm idoneos iudicabant ad res gerendas, qui iniuria ſtatim abriperentur.

Sedatio animi, & neſcio quis torpor imperantibus conuenit.

Quare in Regimine Honoris, qui eſt teſtimonium Excellentiæ, æmulemur viros excelſos, qui more magnæ feræ canum morſibus ſunt impenetrabiles, & ſecuri latratus exaudiunt. Deſpicatui habeamus iniurias; nam genus vltionis eſt, eripere ei, qui fecit, factæ contumeliæ voluptatem: neque alia contumelioſior eſſe poteſt vltio, ſi vlciſci cupias, quàm iudicare aliquem indignum, quem vlciſcare.

De Numero Virtutum Moralium,

Ad Illuſtriſſimum & Excellentiſſimum
IOANNEM ANTONIVM ZENO
PATAVII PRÆFECTVM.

AFferre numerum virtutum eſt facile, ſed difficile eſt reddere rationem numeri. Nam quando aliquid diuiditur in plura, quàm duo, & non reſoluitur in contradictoria, diuiſionis ſufficientia cum difficultate explicatur. Ariſtoteles rationem numeri non reddidit, ſed de induſtria omiſit. Et quidem certus, & determinatus numerus virtutum colligi non poteſt ex numero paſſionum, vt quidam falsò exiſtimarunt, quia ſunt plures virtutes, quàm paſſiones. Paſſiones ſunt vndecim. In appetitu concupiſcibili, reſpectu boni, amor, deſiderium, delectatio, reſpectu mali, odium, fuga, triſtitia. In iraſcibili reſpectu boni, ſpes, deſperatio, reſpectu mali audacia, timor, & ira. at virtutes ſunt plures, quàm vndecim. Et multò minus certus, & determinatus numerus virtutum colligi poteſt ex numero potentiarum; quia ſunt longè plures virtutes, quàm potentiæ. ſunt

enim potentiæ, quæ egent habitu. (Nam omnes non egent) tantùm quatuor. intellectus, voluntas, appetitus iraſcibilis, & concupiſcibilis. at virtutes ſunt longè plures, quàm quatuor; ex his colligitur eſſe falſum, quod cuilibet paſſioni ſua peculiaris virtus reſpondeat, ſicut cuilibet morbo adhibetur propria, & peculiaris medicina; nam ſic virtutes eſſent numero pares, quod reuera non eſt; & videmus quod aliqua virtus corrigit non vnam tantùm paſſionem, ſed duas; vt fortitudo timorem, & audaciam.

Eſt pariter falſum, quod cuilibet virtuti propria potentia aſſignetur, tanquam peculiare ſubiectum. nam ſic virtutes, & potentiæ eſſent numero pares, quod reuera non eſt: Experientia etiam contrarium docet: in vna enim, & eadem potentia plures virtutes reperiuntur. Numerus quidem virtutum, quas vocant principales, colligi poteſt ex numero potentiarum. nam prudentia eſt in ratione, iuſtitia in voluntate, temperantia in concupiſcibili, fortitudo in iraſcibili, ſed ex numero potentiarum, colligi non poteſt numerus omnium virtutum. Cum ergo neque ex numero paſſionum, neque ex numero potentiarum poſſit colligi certus numerus virtutum, nos cogimur excogitare,

quomodo hunc numerum colligere poſſimus. Aggredimur quidem rem non intellectam, atque incertam. Incedimus inſuetum per iter, quod nemo veſtigiis impreſſit, nemo nobis præmonſtrauit.

Dicimus igitur, quod cum virtus moralis ſit humanitas quædam correcta, & moderata, debet hominem diſponere ad duo. primò ne alterum lædat, & ſic ſit innocens, ſecundò vt alterum iuuet, & ſic ſit beneficus.

Homo lædit, intellectu falſa ſuarum virium opinione decepto: & hæc opinio eſt ſuperbia, quæ neminem ſuperiorem iudicat, neque etiam parem. huic læſioni duæ virtutes medentur, Humilitas, & Obedientia. Obedientia erga ſuperiores, Humilitas erga pares. Vel homo lædit facultate iraſcibili, cum præceps agitur in furorem. huic læſioni medetur Manſuetudo. Vel homo lædit facultate concupiſcibili, cum ventri, & veneri mancipatus proprios ſenſus, etiam cum alieno detrimento delectat: vt facit quando alienis cibis, & amoribus fruitur, per iniuriam, quæ iniuria vel eſt violenta, vel doloſa. huic læſioni medetur temperantia. Vel homo lædit alicuius facultatis pertinacia in peccando. huic læſioni medetur Pœnitentia.

Vel homo lædit deſperatione alicuius fa-

cultatis, vel malis victæ, vel ſine fruſtratæ, huic læſioni medetur Patientia. Atque hæ ſunt virtutes, quæ diſponunt hominem, ne alterum lædat vlla animæ facultate; & ſic ſit Innocens. Enumeremus nunc virtutes, quæ diſponunt hominem, vt alterum iuuet, & ſic ſit beneficus. Tria ſunt genera bonorum, animi, corporis, & fortunæ.

Homo igitur alterum iuuat, aut bonis animi, aut bonis corporis, aut bonis fortunæ, aut bonis animi, & corporis, aut bonis animi, & fortunæ, aut bonis corporis & fortunæ.

Neque enim bona poſſunt aliter combinari. Homo igitur alterum iuuat, vel bonis animi, vt doctrina, conſilio, monitu, hortatu. Et hæc eſt prima pars liberalitatis. Vel homo alterum iuuat bonis corporis, vt viribus, & agilitate: & hæc eſt prima pars fortitudinis. Vel homo alterum iuuat bonis externis fortunæ. & tunc diſtinguendum eſt. Nam aut ſunt fortunæ priuatæ, aut publicæ. ſi priuatæ, aut ſunt in priuatum vſum, aut in decus publicum, ſi in priuatum vſum, eſt ſecunda pars liberalitatis; ſi in decus publicum, eſt Magnificentia; ſi ſunt fortunæ publicæ, eſt Honoris moderata appetitio, cuius exceſſus eſt Ambitio. Vel homo alterum iuuat bonis animi & corporis; & tunc vel verbis,

vel actibus mitibus, & blandis. ſi verbis, vel ſeriis, vel iocoſis. ſi ſeriis eſt Veritas, ſi iocoſis, eſt Vrbanitas, ſi actibus mitibus, & blandis, eſt Comitas.

Vel homo alterum iuuat bonis animi, & externis, id eſt re, conſilio, & doctrinâ, & eſt liberalitas tota. Vel homo alterum iuuat bonis corporis, & externis, id eſt vultu corporis, & ornatu, & tunc eſt Elegantia.

Vel homo alterum iuuat bonis animi, corporis, & externis, & tunc eſt fortitudo tota. Et quamuis nonnullæ aliæ virtutes nominentur, tamen vel ad prædictas referuntur, vel quanquam videantur virtutes, tamen ab earum natura ſunt alienæ. Et primò Clementia, facilitas, Lenitas, differunt à manſuetudine nomine tantùm non re.

Continentia non eſt virtus, ſed diſpoſitio ad illam. Frugalitas, & Parſimonia eorum hominum ſunt habitus, quorum tenues ſunt opes, Hi cum non poſſint eſſe liberales, illas diligenter cuſtodiunt, ne alienis indigere cogantur; & poſſunt frugalitas, & parſimonia referri ad Temperantiam, ſiue ad Prudentiam. Gratitudo, & Pietas non ſunt virtutes, ſed motus tam rationalis, quàm iraſcibilis facultatis beneficia rependere cupientis. Indignatio

non eſt virtus, ſed paſſio, & impetus humanitatis auerſantis mala bonorum, & bona malorum. Iuſtitia non eſt virtus moralis; nam virtus moralis eſt habitus, qui gignitur in nobis gratia honeſtatis, ſed iuſtitia non eſt gratia honeſtatis ſed iuris gratia, & reliquis virtutibus moralibus ſupponitur, tanquam fundamentum. Miſericordia non eſt virtus, ſed humanitatis affectus, & motus laude digniſſimus. Hæc cum in aduerſis alteri opem ferre non poſſit, eius miſeriæ ſaltem fit particeps.

Magnanimitas non eſt virtus particularis, ſed exceſſus quidam in præſtantioribus virtutibus. nam vt gladius magnus eſt, & paruus, & mediocris, ita & animus. Perſeuerantia, & Conſtantia non ſunt virtutes diſtinctæ ab aliis, ſed firmitudines virtutum. Prudentia non eſt virtus moralis, nam virtus moralis eſt habitus in appetitu, (Mos enim dicit actum appetitus conſuetudine inductum) ſed eſt habitus intellectualis, qui dirigit virtutes morales, ad quas referri poteſt ratione ſuæ directionis. Sobrietas autem eſt eadem cum Temperantia, aut eius pars, cum ſolius potus abſtinentiam reſpicere videatur. Verecundia non eſt virtus, ſed paſſio & timor iuſtæ reprehenſionis. Sunt igitur duæ virtutum claſſes: vna earum, quarum auxilio homo-

alterum non lædit, & ſic fit innocens. Altera earum, quarum auxilio homo alterum iuuat, & ſic fit beneficus. Et quia homo non lædit, aut iuuat, niſi tot modis, quot enumerauimus, ſequitur quod fons humanitatis, qui ſcinditur in riuulos virtutum, quibus impeditur læſio, aut excitatur iuuamen, ab his riuulis totus penitus exhauriatur. Et ſic diuiſionis ſufficientia eſt ſufficienter explicata.

FLAVII
QVAERENGI
POIAGHI COMITIS,
& Canonici Patauini.

INTRODVCTIO

In Philoſophiam Moralem Ariſtotelis.

Digitized by Google

FLAVII QVÆRENGI INTRODVCTIO IN PHILOSOPHIAM MORALEM ARISTOTELIS.

Poſtulat ab induſtria mea inſtituti ordinis ratio, vt quæ ab Ariſtotele in X. Ethicorum libris tradita ſuperioribus annis fuſiùs ſum explicando perſecutus, nunc breuem in Epitomen collecta, quemadmodum pollicitus ſum, vobis ſub oculos ponam. Quod ita faciam, vt neque Hermolai Barbari nimis arctum compendium, neque Raphaëlis Volaterrani verboſiorem imiter prolixitatem.

Explicari à ſummo Philoſopho in his X. Libris Ciuilis diſciplinæ, quam Politicam Græco vocabulo dicimus, vniuerſalia Principia certiſſimum eſt. Horum verò principiorum caput ſupremum ad quod omnia tanquam ſpecies ad genus vnicum referuntur, eſt vera humanæ Felicitatis definitio; ex cuius perſecta cognitione, non ſecus ac probi atque improbi auri diſcrimen ex lapide Lydio deprehenditur; quidquid vel laude dignum, vel vituperatione in hominis vita cenſendum ſit, rectiſſimè iudicatur. In huius itaque definitionis indagatione, qui ſibi ac cæteris maximè prodeſſe velit præſertim ver-

ſari debet, parteſq; eius ſingulas accuratè expē-dere, & ciuilibus actionibus tanquam regulam certam proponere. Sed antequam hanc definitionis venationem aliquis aggrediatur, prænoſcenda illi quædam neceſſario exiſtimat Ariſtoteles, & hæc inter alia. Cuius ſit facultatis, & ſcientiæ ea conſideratio: tum cuius ingenio diſcentis accommodata. Quibus tertiò rationibus in hac materia veritas ſit diiudicanda.

Et ad primam quidem quæſtionem reſpondendum dicit, dubium non eſſe quin de ſumma agere felicitate ad eam facultatem pertineat, quæ omnium artium extremum finem, ad quem cæteri omnes referuntur, conſiderat, & declarat. Eiuſmodi verò facultatem eſſe eam, quæ propriè Politica nuncupatur. Eius eſt enim videre, & imperare quæ ſint artes in Ciuitatē admittendæ, & qui ſingularum ſint fines, & quo ordine, ac ratione ab vltimo fine dependeant. Ad ſecundam quæſtionem reſpondet, non omnes idoneos eſſe ciuilis diſciplinæ auditores, ſed eos tātùm, qui vel natura, vel inſtitutione apti ſint ad iudicanda, & eligenda, vel reiicienda, quæ à Politico proponuntur. Ad tertiam quæſtionem reſpondet, ſuas eſſe vnicuique arti accommodatas docendi rationes: duo verò eſſe ſumma genera explicandæ in quolibet argumento veritatis; alterum exactum, & demonſtratiua ſubtilitate diligenter expenſum, quo Mathematici præſertim & Phiſici vtuntur; alterum quod

pro ratione materiæ ſatis à ſe præſtitum putat, ſi demonſtrationis loco probabilem ac topicam adhibeat conſiderationem. Eoque, docendi genere contentum eſſe debere Politicum, argumenti in quo verſatur, ratio ſatis oſtendit. quandoquidem humanæ actiones, earumque principia videntur lege potiùs, quàm rei natura conſtare. Et hanc tertiam quæſtionem dirimit Ariſtoteles vulgata illa diſtinctione, qua multis in locis auditorem admonet, quædam eſſe notiora nobis, quædam natura, nonnulla etiam reperiri quæ vtramque notitiam pariter complectantur. Vbi verò alterum altero magis obuium ſit intelligentiæ, ſemper à notioribus nobis ad minùs nota progrediendum; quod in ciuili diſciplina fieri debere potiſſimùm cenſet; idque obſeruat ipſe accuratiſſimè. Propoſitis enim aliorum de felicitate celebrioribus ſententiis, iiſque reiectis, ita ad veriorem inueniendam incedit, vt primum in medium allatis certis conditionibus & ſapientium, & inſipientium communi conſenſu ad felicitatis conſtitutionem neceſſariis, ex iis deinde tanquam ex notis definitionem, quam veriorem exiſtimat, moliatur & extruat.

LIBER PRIMVS

OMNIS Ars, & doctrina, omnis etiam actio, & electio, quæ propriè humana ſit, tendit in bonum aliquod; ſiue Verum bonum ſit, ſiue Apparens.

Bonum tanquam cauſa, cuius gratia operamur, operationis eſt terminus, & conuertitur cum fine.

Fines autem multi multarum artium ſunt ita inter ſe ordinati, vt quidam ad finem alterius artis, quæ Architectonica dicitur, referantur, & ipſæ Architectonicæ ad vnam denique omnes cæterarum omnium principem, tanquam ad vltimum finem, dirigantur.

Hic bonorum extremum, & ſummum Bonum, & felicitas, in cuius adeptione omne deſiderium conquieſcit, exiſtimatur, & dicitur; eiuſque cognitio ſagittarij exemplo ad beatè viuendum ſummopere hominibus vtilis eſt credenda.

Eam verò cognitionem præſertim pollicetur facultas omnium maximè Architectonica, quæ Politica dicitur. Eius eſt enim

aliarum fines dirigere, earumque vſum vel approbare, vel reprobare.

Et quidem ſufficienter diſputari in ea cenſendum eſt, ſi pro ſubiectæ materiæ ratione non ſubtiliter, & demonſtratiuè, ſed paulò craſſius, & probabiliter diſſeratur. Agitur enim de eiuſmodi rebus, quæ lege potiùs, quàm natura, conſtare videntur.

Nec tamen omnes pariter idonei ſunt ad eam diſciplinam percipiendam, ſed ij tantùm, quos vel natura, vel bona educatio rationi potiùs, quàm perturbationibus, facilè obedientes finxit.

Initium verò ducendum à ſummi boni definitione. Nec ea quæ Nominis dicitur, vllam habet difficultatem; cùm omnes conſentiant benè viuere, & bonis omnibus affluere, eſſe quam quærimus felicitatem: ſed quæ Rei dicitur, magnas habet diſſenſiones. Qui enim bonum aliquod modò cæteris præferebant, paulò poſt in aliam opinionem rapiuntur; de quorum controuerſiis vt rectè iudicemus, optima ingrediemur via, ſi à notioribus nobis ad minùs nota procedamus.

Tria igitur ſunt maximè cognita vitæ genera, Contemplatiuum; Politicum ſiue Ambitioſum; & Voluptarium, quod vulgus præſertim imitatione potentiorum amplectitur.

Tertium nulla quidem laude dignum omittatur.

Medium cùm honorem ſectetur, qui tanquam ſignum virtutis ſuſpicitur, inde ſequitur, quod ipſa virtus multò pluris facienda ſit; & propterea maximè videatur felicitatis eſſentiam attingere, niſi Virtus etiam ad operationem tanquam ad perfectius aliquid dirigeretur.

Contemplatiuum vitæ genus, quod à Platone potiſſimùm commendatur, in boni quadam vniuerſali idea, eiuſque cognitione ſitum eſſe dicitur.

Sed neque eiuſmodi idea eſt aliquid in rerum natura, neque eius cognitio, ſi aliquid ſit, ad humanam vitam conferre videtur.

Dicendum itaque primo reſumpto diſciplinæ principio; Cùm felicitas extremum bonorum communi conſenſu ſit, quæcumque bona appetuntur, eius extremi gratia appeti à nobis, & hoc vnum per ſe ſufficiens eſſe: quæ intima & perpetua felicitatis conditio eſt.

Sed quia nondum definitionem nominis egreſſi videmur: addendum, ex conſideratione operis, ac muneris, quod cuiuſque rei proprium eſt, rectiſſimè bonum etiam ipſius rei diiudicari.

Hominis verò proprium opus eſt, quod

illi quatenus homo eſt; eſſentialiter competit.

Itaque ſi quidem homo propriè homo eſt per rationem; ad ſummam perfectionem perducta humana ratio, erit ſummum hominis bonum.

Summa verò perfectio non ſolùm in habitu, ſed multò magis in operatione perſpicitur. Vnde concludi optimè poteſt, hominis operationem ſecundùm virtutem, eius eſſe ſummam felicitatem,

Sed quoniam veritati omnia conſonant, ac diſciplinæ huius methodus in materia probabili, & communem ciuilium hominum ſenſum non excedente verſatur; verum eſſe quod diximus oſtendunt conditiones omnes felicitati communiter attributæ.

Sunt autem ex variorum ſententia præcipuæ felicitatis conditiones, & quaſi typi, qui ſequuntur. Primus; quòd in optimo bonorum genere ſit collocata. Secundus; quòd humanas operationes perficiat. Tertius; quòd vitam ſuauiſſimam reddat. Quartus; quòd bonis externis non careat. Quintus; quòd firmo & valenti corpore felix ſit præditus. Sextus; quòd non ſibi ſolùm, ſed agnatis, & amicis, & patriæ prodeſſe poſſit. Septimus; quòd permanens proſpera cum fortuna vſque ad vitæ exi-

tum perduret. Octauus; quòd felicitate præditum, non solùm laude, & honore dignum efficiat, ſed tanquam Deo inter mortales proximum beatitudine quadam ornatum extollat.

Hos omnes Felicitatis gradus continet tradita ab Ariſtotele definitio, qua dicitur Felicitas actio ex virtute perfecta in vita perfecta.

Sed duæ occurrunt dubitationes. Prima; An poſterorum fortunæ proſperæ, vel aduerſæ, ad felicem pertineant. Altera, An magnarum calamitatum interuentu felicitas conuellatur.

Ad primam reſpondetur, aut nihil aut parum referre, quales poſteros habeamus. Abſurdum eſt enim vt qui quamdiu vixit verè dictus eſt felix, mox cùm iam deſiit eſſe, infelix euadat.

Ad ſecundam dicitur: eiuſmodi poſſe incidere calamitates, vt felix careat quidem ſummo bono, in quo iam videbatur firmiter conſtitutus, non tamen infelix vnquam euadat, vigente in eo ſemper præcipua beatitudinis parte, quæ in virtute poſita eſt. Cum verò felicitas ſit animæ operatio ſecundùm virtutem, ad Politicum pertinet non ſolùm intelligere quid virtus ſit, ſed ipſius quo quæ animæ partes, in quibus ineſt virtus & operatio. Nec tamen

in hac materia ſic verſabitur, vt fines propriæ diſciplinæ tranſcendat; eritque ſatis non ignorare duas eſſe animæ partes, alteram rationis participem, alteram expertem. Sed hanc ipſam, quæ ſua natura non ratiocinatur, facultatem quamdam habere quaſi rationi affinem, qua res à ratione traditas, & imperatas percipere, & ſequi, aut reiicere perceptas poſſit; eaque facultas Appetitus communiter dicitur.

Si quis tamen rationali parti adnumerare Appetitum velit, poterit quod in nobis eſt rationale ita diuidere, vt dicat rationalem animæ facultatem, vel eſſe propriè, & per ſe rationalem; vel rationalem per participationem aptitudinis ad intelligenda & exequenda abſolutæ rationis imperia.

Diuiditur autem ipſa etiam virtus ex hac differentia in duo genera, quorum alterum Intellectiuum, alterum Morale appellatur.

LIBER SECVNDVS

EX rationalis animæ partitione humanam quoque virtutem duo diuidi in genera dictum eſt: Intellectiuum ſcilicet, & Morale: quorum primum tempus exigit, & experientiam; alterum conſuetudo gignit; quod ex ipſo nomine facilè intelligitur; ſimulque inde patet nullam moralium virtutum ingenitam nobis à natura, neque tamen præter naturam comparari.

Hoc verò differunt Virtutes à naturalibus Potentiis; quod in his operatio potentiam ſequitur; in iis operationem virtus.

Eam differentiam ſequuti Legiſlatores quæcumque rectè præcipiunt ad ſcopum hunc vnum dirigere, vt ciues iuſtè agendo iuſti euadant, idemque vt virtutes alias inducant diligenter obſeruant. Ex bonis enim actionibus boni habitus, ex malis mali oriuntur; ac plurimum intereſt quibus à pueritia moribus aſſueſcamus; præcipuumque Politici ſtudium in eo verſari debet, vt qua ratione rectè agamus edoceat.

Ac primò quidem loco hic ſupponatur, rectam rationem benè agendi vnicam regulam eſſe. Tum verò animaduertendum in morali materia omnem prauæ actionis errorem ex duorum altero exoriri; aut enim exceſſu, aut defectu à medio recedentes peccamus: quod in ſingulis perturbationibus, ſiue ad iraſcibilem potentiam, ſiue ad concupiſcibilem pertinentibus manifeſtum eſt.

Argumentum verò boni, aut praui habitus iam inducti duplex eſt, voluptas ſcilicet, & ægritudo. Rectè, propterea Plato optimam eſſe hanc puerorum inſtitutionem tradit; vt quibus lætandum eſt lætari, quibus dolendum dolere conſueſcant.

Cùm verò tria ſint quæ intuentes, aut aliquid appetimus, aut declinamus, honeſtum, vtile, iucundum, huius tertii vis maxima eſt, vtunturque homines voluptate ipſa, & contrario, tanquam canone quodam ad malè vel benè agendum in iis, quæ agunt.

Sed dubitabit aliquis, quomodo iuſtè agendo iuſti efficiemur, ſi hoc ipſum iuſtè agere, antequam iuſti ſimus, eſt impoſſibile? Reſpondetur, aliud eſſe ex habitu iuſtitiæ iuſtè operari, aliud iuſtè agere ratione tantum obiecti, quod iuſtum ſit, non tamen iuſtum cõcludat eſſe iuſta facientem

Nec ſanè comparatio inter artem, & habitum moralem procedit. In arte enim cùm operis perfectio ſpectetur ab opere exteriori, efficiens operis poteſt eſſe ſola artis ſcientia. Sed tria in operatione morali requiruntur, ſcientia videlicet operationis agendæ, electio in appetitu rationi conformis, habitus denique conſtans, & firmus. Satis eſt igitur in actionibus habitum præcedentibus, ipſumque procreantibus quòd operans, ſiue propriæ rationis dictamen ſequutus, ſiue legis, aut alienæ admonitionis impulſu, ſæpe quæ iuſtus facit imitando: iuſtitiæ habitum contrahat.

Quid porrò ſit Virtus, diligentiùs conſiderandum.

Tria ſunt in anima; paſſiones, potentiæ, habitus.

Paſſiones, cupiditas, ira, excandeſcentia, metus, fiducia, inuidia, gaudium, amicitia, odium, deſiderium, æmulatio, miſericordia, & alia eiuſmodi, quarum perturbationem conſequitur voluptas, aut moleſtia.

Potentiæ ſunt, ſecundum quas affici paſſionibus poſſumus.

Habitus ex quibus vel benè, vel malè diſpoſiti ſumus circa paſſiones.

Virtutes autem cum nec paſſiones ſint neque potentiæ; neceſſariò ſequitur inter

habitus reponendas.

Non tamen ſufficit ſcire, quòd ſint habitus, ſed addendum perfectiones eſſe agentis, & actionum in quibus conſiderantur, vt oculi virtus, & ipſum oculum perfectum reddit, & opus ipſius, quod eſt cernere. Id ſi verum eſt in cetæris omnibus, erit quoque verum, hominis virtutem eſſe habitum, quo perfectus homo fieri dicitur, & ſuum ipſe opus perfectè facit.

Quomodo autem hoc contingat quamquam paulò ante indicauimus, ſic tamen erit manifeſtius.

In omni ſcilicet diuiſibili aliud plus, aliud minus, aliud æquale accipere poſſumus, ſiue quantum ad ipſam rem attinet, ſiue quantum ad nos.

Æquale ad rem inter exceſſum, & defectum medium eſt, & æqualiter diſtat ab vtroque extremo, & apud omnes vnum & idem eſt.

Ad nos æquale eſt, quod neque excedit, nec deficit.

Virtus igitur mediocritas quædam eſt rectè medium in humanis actionibus coniectans.

A medio quidem multis modis aberrare facile poſſumus, vno autem modo ipſum attingere.

Eſt igitur virtus habitus electiuus in me-

diocritate conſiſtens definita quo ad nos; ad prudentiæ præſcriptum.

Et quidem inter duas extremitates ſic virtus eſt collocata, vt quæ duarum medietas eſt, ſi cum alterutra ſeparatim comparetur, extremitas dici poſſit.

Sunt autem paſſiones quædam, quarum nulla mediocritatem recipit, ſed prolato tantum nomine prauæ agnoſcuntur eadem ratione, qua in actibus quoque nonnullis accidit.

Inuidentia igitur, impudentia, adulterium, furtum, & eiuſmodi ad virtutem redigi non poſſunt.

Si verò, ex paſſionum numero & qualitate, virtutum genera ſunt diſtinguenda, circa timorem quidem & audaciam mediocritas eſt fortitudo; circa voluptatem & ægritudinem temperantia; circa pecunias liberalitas, & magnificentia; circa honorem magnanimitas; circa iram manſuetudo; circa verborum & actionum communem vſum veracitas, vrbanitas, & amicitia; circa pudorem verecundia; de quibus ſigillatim, & accuratius mox dicendum, ac de Iuſtitia præſertim.

Sed quoniam tres circa humanos actus ſint diſpoſitiones; quarum duæ ſemper prauæ ſunt, vna recta, omnes omnibus opponuntur; extremæ quidem & mediis,

& inter ſe ; mediæ verò extremis ſunt contrariæ : maior autem eſt inter extremas contrarietas, quàm inter extremam & mediam.

Vt verò ab extremis ad mediam facilius ac tutius perducamur, illa optima regula eſt, vt animaduerſione adhibita ad quæ nos propenſiores ſimus, in contrarium noſmetipſos retrahamus. Longè enim à delinquendo ſecedentes, medium inueniemus inſtár artificum, qui flexa ligna rectificant.

Digitized by Google

LIBER TERTIVS

HVmanæ definitionem Felicitatis, quam primo Ethicorum libro tradidit Ariſtoteles, explicare in ſecundo aggreſſus, quid eſſet moralis virtus, quaque in mediocritate perturbationum, operationumque conſiſteret, luculenter oſtendit. Eamdem ſecutus methodum in tertio, hunc fere in modum philoſophatur.

Affectus, & operationes in quibus verſatur virtus, inde laudem, aut vituperationem merentur, quòd à libera electione proficiſcuntur.

Quæ ſi inuitæ ſint, aut venia, aut etiam miſericordia quandoque ſunt dignæ.

Moralis itaque virtus quid ſit, ab eo perfectè intelligi non poteſt, qui ignoret quid ſit ſponte agere, vel inuitè: facilius verò intelliget exorſus à notiore, quod eſt agere inuitè.

Eſt igitur inuita actio, cuius cauſa efficiens nulla propriè in nobis eſt.

Eius duæ ſunt ſpecies, aut enim ab externa pendet violentia; aut per agentis ignoran-

norantiam Voluntarium excludit.

An verò quæ vel metu imperantis, vel alicuius boni maioris conſequendi cauſa aguntur, ſponte agantur, in dubio eſt. Dicendum verò, quamquam miſtæ actiones videantur, veriùs tamen ſpontaneas eſſe, quoniam actiones in particulari diiudicantur, quodque poſtremo tanquam vtilius eligimus, ſponte eligimus.

Incidunt tamen caſus, in quibus honeſtiùs mors ſubeunda, quàm vtilitatis ratio habenda. In quibuſdam autem non modò nulla agentem ſequitur vituperatio, ſed vel laus, vel venia ſaltem, aut miſericordia.

Eſt igitur violentum ſimpliciter, in quod agens nihil confert.

Cauendum verò, ne in eorum labamur errorem, qui prauè acta vt excuſent, obiecti alicuius vel pulchri, vel vtilis, in mouenda cupiditate ad vim reſpicientes, amori, ambitioni, auaritiæ, & eiuſmodi aliis perturbationibus violentiæ neceſſitatem tribuunt. Eam ſcilicet vim non externum imperium, ſed ipſa eorum cupiditas inuehit: Et amorem, ambitionem, auaritiam, voluptatis affectus conſequitur; actionem verò ſimpliciter violentam comitatur ægritudo.

Quod in altera quoque inuiti ſpecie con-

ſideratione dignum. Nam per ignorantiam tripliciter videmur inuiti agere; vel ſcilicet ignorando particulares circumſtantias, quas tenemur ſcire, vel quas non tenemur; vel eo tempore tantum quo agimus perturbationis culpa ignorando.

In primo ignorantiæ genere nihil violentum quod excuſet. Nihil quoque in tertio. In ſecundo verò actio diſtinguenda ex affectu illam conſequente.

Nam ſi conſequatur dolor, dubitari non poteſt, quin ſit inuoluntaria; ſi verò quod egimus inſcientes iam actum & cognitum non damnamus, nec voluntarium ſimpliciter dici poteſt; quia nemo ſponte fertur in id quod ignorat; nec inuoluntarium, quoniam aut non improbatur cum actum eſt, aut etiam placet. Et ratio hæc eſt, cur, quemadmodum diximus, acta cum voluptate in obiecti mouentis vim conferre culpam non poſſint.

Sequitur vt videamus quid ſit Electio, quæ pars eſt præcipua Virtutis; eiuſque declarandæ gratia de Spontaneo, & Inuito proximè diſſeruimus.

Eſt igitur electio voluntaria quidem res, ſed quam conſultatio anteceſſit.

Eaque differt à ſpontaneo, nam pueri quoque & animalia rationis expertia ſponte agunt; non tamen electionem, quæ ra-

cionis vſum antea requirit, habere dicuntur.

Deliberatio verò, ſiue conſultatio earum tantum eſt rerum, quæ in poteſtate noſtra ſunt, poſſuntque multis modis agi, ſiue actiones ciuiles reſpiciant, ſiue artes ad vitam feliciter degendam neceſſarias.

Neque tamen de illarum finibus quiſquam deliberat, verùm de mediis tantum, per quæ finem commodiùs conſequi poſſit.

Quod ſi non plura, ſed vnicum ſit medium, tum de optimo illius vſu conſulitur.

Iam verò conſultatione abſoluta, ſequitur vt voluntas id expetat, & imperandum ſuſcipiat, quod factu optimum iudicatur; eaque appetitio voluntatis ex conſultatione orta, eſt electio.

De fine verò, an ipſum velimus, non conſultamus.

Ambigitur tamen apud nonnullos, an voluntatis obiectum ſit tantummodo verum bonum.

Sed profectò ſi quis ita credat, putabit etiam virtutis ſolum actiones, non itidem vitii voluntarias eſſe: quod falſum eſt.

Fatendum ergo, ſimpliciter quidem & ſecundum naturam in verum bonum voluntatem ferri; ob imperfectionem verò in multorum iudicio, quò ſua quemque

trahit voluptas, id bonum videri.

Neque ob id inuoluntarius eſt habitus improbitatis, quandoquidem actiones ex quarum vſu ſæpe repetito oritur habitus, in libera cuiuſque ſunt poteſtate, verumque bonum, antequam iudicium prauè agendo corrumpatur, omnibus æquè in aperto propoſitum eſt.

Quid ergo ſit Virtus, quid voluntarium, & electio, & voluntas, quæ ſunt ipſius virtutis interna principia, generatim dictum eſt. De ſingulis virtutibus in poſterum diſſeremus.

FINIS.

Sequentes epiſtolæ præfixæ fuerant à Tipographis Patauinæ huius introductionis editioni, ac demum etiamſi Florentinæ.

Sereniſſimo Principi

ODOARDO FARNESIO.

Parmæ, & Plac. Duci,

Domino Clementiſs.

S*Criptoribus familiare eſt, vt chartis quidquam ſerio commiſſuri: priùs leue aliquod calami experimentum faciant. Editurus ego eruditiſsimas Comitis Flauij Querengi Canonici Patauini Diſſertationes è Philoſophiæ Moralis, Ciuilis, ac Naturalis fontibus deriuatas, quas ipſe cum Inſtitutionibus diſciplinæ Moralis pridem à Belgis eleganter in lucem productis Celſitudini Tuæ deſtinauit, in vulganda eiuſdem Authoris ad Philoſophiam Moralem Ariſtotelis Introductione meorum pariter typorum periculum, ſiue tentamentum aliquod adire volui. Non alio ſanè argumen-*

to, quàm vt conſtet, quanto iam ſtudio Comes Flauius in aula Sereniſſimi Ducis Ranutij magni Patris tui liberaliter educatus orbi vniuerſo, poſteritatique teſtatum cupiat, nihil ſibi antiquius eſſe, quàm vt Celſitudini Tuæ pro maximis, ac penè immortalibus meritis æternùm ſe deuinctum fateatur. Quod feliciter, diuque vt eueniat, Deum Opt. Max. pro C. T. incolumitate ſupplex veneror. Patauij, Cal. Decemb. An 1640.

C. T.

Deditiſſimus

IVLIVS CRIVELLARIVS.

Erudito, ac benigno Lectori
Amator Maſſius S. P. D.

FLAVII Querengi Poiaghi Comitis; Canonici, atque Profeſſoris Patauini multiplici ſcientiarum, artiumque liberalium poſſeſſione præſtantis Iſagogen ad vtilitatem Philoſophiæ Moralis candidatorum recudo. Hanc, vti prolem eruditi, dico tibi, erudite Lector, qui vt, ceteri bonæ mentis viri, in oculis feres Querengum noſtrum, amabilem virtute ſua, gloriaque patrui Antonij Qeurengi Poëtæ, Hiſtorici, Philoſophi, ac Philologi præclariſſimi. Vale, meque tibi addictiſſimum foue benigno patrocinio.

In opuſcula moralia Comitis QVERENGI.

PVlcher vt ignifero dum Phœbus prodit Olympo,
Detegit occultum nocte premente diem;
Sic reſerat lepido morum præcepta libello
Flauius, Euganei gloria prima Soli,
Nam bene quid ſit honor, quid gloria, quòdque Loquentem
Philoſophum deceant maſcula verba, docet.
Scilicet extincti ſenioris damna Querengi
Iunior egregia mente leuare poteſt;
Ipſaque vincta modis, ſeu libera, grata Camœnis,
Docta Querengorum Pagina ſemper erit.

GABRIEL NAVDÆVS.

RERVM ET VERBORVM IN poſterioribus hiſce tractatibus notabilium INDEX.

A

ACtio quomodo fiat. 216
Actio inuita quid & quotuplex. 464
Actio Viri tam libera quàm virtutis. 468
Adoleſcentes negligunt conſilia. 280 minime Reipublica idonei. 256
Adulatio quid. 323. 324
Adulterij cauſa duplex. 424
Agamemnonis poteſtas moderata. 231
Animalibus Brutis cur arma conceſſa à natura. 34
Annona conſideratio. 240
Antigonus ſecreti amans. 268
Artium conſtruendarum peritia. 239
Ariſtotelis locus difficilis. 299
Arrogantia conſiliario vitanda. 259
Artes qua ſuum finem aſſequuntur. 223
Artium diuiſio. 292
Aſtutia quid. 320
Attendere à falſis Prophetis quo modo dicatur. 269
Auguſti reſponſio ad M. Antonium. 380

B

BEllicus apparatus. 225
Belli ſuſcipiendi cauſa. 230. 232. finis ibidem. gerendi ratio. 237

C

Cæſaris milites ad Auaricum quid fecerint. 296
Candor quid ſit. 322
Caſtigatio vt differt ab vltione. 356
Certa non egent conſultatione. 223
Certamen ſingulare. 379
Commeatus in bello neceſſarius. 237
Compenſatio ad Principes ſpectat. 409
Conſilia cur al'qui negligunt. 279
Conſiliarij viui an mortui praeferendi. 283
Conſiliario quæ vitanda. 255. 259
Conſiliarij Beneuolentia. 277. munus triplex. 213. Virtutes. 253. 262. & ſequentib. vitia. 269
Conſiliarij num ſint neceſſarij. 281
Conſiliarius Principum quis. 280
Conſilij dandi difficultas. 214. definitio. 216. ſpecies. 218 materia. 220
Conſilio di cabineto. 281
Conſtantia non eſt virtus. 446
Conſultatio de quibus inſtituatur. 220. 222. 228. 467. eius difficultas. 250
Conſultandi modus Leonis Alberti. 243. & ſequentib.
Contemptus quotuplex. 378. maxima cauſa iræ. 371
Contemptibiles cur iraſcantur. 367
Continentia non eſt virtus. 445
Contumelia quid. 311. 313
Copiæ terreſtres vel maritimæ. 234
Corpora viua ſecta medicis. 252

D

Damnum in bello vt vitandum. 233
Deliberatio de quibus inſtituatur. 467
Deſpicientia quid. 265
Detractio quid. 311. & ſequentib.

Dolus quid. 320
Duellum 379. *quando licitum.* 386. 389

E

ELectio quid. 466
Ephori regiam poteſtatem trenabant. 231
Equites duorum ſunt generum. 234
Exiſtimatio dignitatis. 293

F

FElicitatis conditiones. 455
Felicitatis humana definitio. 449
Fictio quid. 321. 322
Fidem tria conciliant. 253
Fides in Conſiliario. 262
Finium tutela. 238
Fortes in duello qui dicantur. 379

G

GErenti magiſtratum tria neceſſaria. 275
Gladiatores cur inuenti. 252
Gratitudinis & vltionis ſimilitudo. 433

H

HOminum genera tria. 288
Homini cur arma nulla à natura attributa. 347
Honor quid. 291. 293
Honoris cognitio difficilis. 292
Honoris ſpecies tres. 296. 298. 401

I

IGnorantia triplex genus. 466
Improbitas armis inſtructa 276. *diuerſa ab imprudentia.* 276

Inimicitia quid & qualis. 332. 377. *vt differat à non amicitia* 334. *vnde oritur* 335. *duplex ibidem &* 336. *non bene definitur per iram.* 338
Iniuria 308. *quid* 310. *diuiſio* 318. 319. *num reddi debeant maiori menſura.* 435. *omnium grauiſſima qua* 325. *quomodo vindicari debent* 398. *verbis an factis grauiores* 325. *qui eas moleſte ferant* 327. *qui contemnant.* 328
Inquiſitio quid ſit. 217
Inſtrumenta bellica vt parentur. 236
Iouis Metim deuorantis fabula. 259
Ira duplex 438. *bona & mala* 360. *vt differt à timore* 348. *vt neceſſaria ad inimicitiam* 340. *quando furoris nomen obtinet* 341. *vt differt ab odio.* 342. 343
Iraſcibilis facultas. 349
Iracundi. 361
Irati & placati non eodem modo iudicant. 277
Iratus non timet. 419
Irriſio quid. 316
Iuſtitia non eſt virtus. 346

L

Acones quid à Deo petebant. 439
Laſio non eſt obiectum iræ. 358
Lectio hiſtoriarum vtilis. 257
Legiſlatores. 286
Legum ferendarum & abrogandarum ratio. 241
Leo B. Albertus. 243
Lucullus lectione dux peritus euaſit. 257
Lycurgus ebrietatem cur permittebat. 252

M

Agnanimitas non eſt virtus. 446
Maledictio quid. 317
Mathematica reſolutio. 226
Metalli latentis indicium. 221
Metellus ſecreti amans. 268

Metu facta an ſponte fieri dicantur. 465
Militum qualitas ſpectanda. 235
Miſtura odij & iræ. 349
Monomachia. 382
Moralis Philoſophiæ introductio. 449
Mors quando procuranda. 392. *quando vtilitati præferenda.* 465
Medici antiqui corpora viuorum ſecabant. 252

O

OCtauij Parmæ ducis factum. 329
Odium vt differt ab ira. 342. *longius perdurat.* 343

P

PAcis componendæ ratio. 231. 402. 428. 431
Paſſiones ſunt vndecim. 440
Pecuniæ cogendæ ratio. 219
Peditum tria genera. 235
Peregrini opinio reiecta. 352
Placati ac irati non eodem modo iudicant. 277
Pœna quid. 436
Politicus agit de ſumma felicitate. 450
Potentiæ quæ egent habitu. 442
Præludia bellica quæ. 239
Principes ſunt diffidentes 280. *facile iraſcuntur.* 250
Proportio Arithmetica in ſatisfactione iniuriarum 433. *arithmetica ibidem.*
Prudentia quid 254. *virtus mortalis.* 261. *triplex* 213. *ſine virtute.* 272. 273. 275 *vix à virtute ſeparatur.* 260

R

RApina differt à furto. 320
Rationis vſus triplex. 254
Reconciliatio quid. 436

Regiminis generò ſex. 242
Regum apud Græcos poteſtas circumſcripta. 231
Rogerij duellum cum Rodomonte. 383

S

Satisfactio 398. *in pace concilianda neceſſaria* 430. *in quali vel quando.* 433. 434
Secretum legendum. 282
Societates hominum cur inſtituta. 227
Sociis in bello quomodo vtendum. 236
Sponte agere quid. 466

T

Taciturnitas in Conſiliario. 267
Tardi ad vlciſcendum qui. 331
Temperamentum Conſiliarij. 278
Themiſtoclis ſagacitas. 255
Timor differt ab ira 348. *ſimul non reperiuntur.* 419
Tria ſunt in anima. 460
Triuia Senatoria L. Alberti. 243

V

Verecundia non eſt virtus. 446
Veritas in moribus quid. 332
Victis parcendum. 415
Victus an mortem vel ſeruitutem eligere debeat. 391
Vilipendium quid. 364
Vindicta actus iuſtitiæ legalis. 425. *qua requirat* 404. *vera qua* 413. *modus eius præſtantior.* 421. *quomodo fieri debeat* 397. *ſine pœna corporis.* 417
Virtutum moralium numerus. 441 443
Virtus intellectiua vel moralis. 458
Virtutum & vitiorum actiones æquè Libera. 467
Virtus & prudentia vix ſeparantur. 560

Virtutes Conſiliarij. 262
Vltio nomen genericum. 427. *ad principes ſpectat* 409. *eius & gratitudinis ſimilitudo.* 435
Voluntas an feratur tantum in verum bonum. 467

FINIS.

A 41 1454493

Digitized by Google

[illegible]

A 11.

Digitized by Google

Digitized by Google